149a
54

Accessions PRESENTED TO THE ~~40,517~~
31,182 ** M149.a54

Public Library of the City of Boston

SICUT PATRIBUS SIT DEUS NOBIS.
BOSTONIA
CONDITA AD.
1630.
CIVITATIS REGIMINE DONATA A.D. 1822.

By Joshua Bates, Esq.
Received Sept. 15, 1859.

M V S V R G I A

ſeu praxis M V S I C AE.

Illius primo quæ Inſtrumentis agitur certa ratio, ab Ottomaro Luſcinio Argentino duobus Libris abſoluta.

Eiuſdem Ottomari Luſcinij, de Concentus polyphoni, id eſt, ex plurifarijs uocibus compoſiti, canonibus, Libri totidem.

*4059.17

¶ Argentorati apud Ioannem Schottum, Anno Chriſti. 1536.

Cum gratia & priuilegio Imperiali, ad Quinquennium.

Joshua Bates
31,152
Sept. 15, 1857

Magnifico uiro Domino Andreæ Caluo Mediolanen̄. Ottomarus Luſcinius, Argentinus, S. D.

Qum ob alias inſignes uirtutes tuas, magnifice Andrea, ſummamq́ eruditionem, plurimus tibi honos ab omnibus iure optimo debeatur: tum in primis ingens præconium, & fauorem immenſum apud ſtudioſos cura tibi tua conciliat, qua ueterum monumenta librorum, per chalcographiam ab interitu uindicas: & nouam ingeniorum fœturam, diuite ſemente ſpargis in orbem. Nam (ut mea fert opinio) ſicut non minoris eſt meriti, res præclaras geſſiſſe, q̄ geſtas fœlici ſtilo exaraſſe, adeo, ut non paucos inuenias (ſi alterum expetendum ſit) qui Homeri eſſe malint q̄ Achilleis: ita non minus conſultum uniuerſæ reipub. literariæ crediderim, per eos qui ceu Iupiter ex capite partum edunt, nouis quibuſdā inuentis literas illuſtrando, q̄ illos demum qui partum huiuſcemodi in ſinum excipiunt ac confouent. Deniq́ mille exemplis ſua ope, aut impenſa excuſum, protrudūt in lucem: tantaq́ librorum propagatione id demū agunt, ne ſit (quod aiunt) τυφλὸν πλοῦτον. Itaq́ neſcio, cuinam potiſſimum referamus acceptum, ꝙ q̄plures (ut in prouerbio dicitur) mutos magiſtros domi habemus, quibus cum uegetandi ingenij gratia, diurnum nobis exiſtat nocturnumq́ commercium: an ne authoribus ipſis, qui ea nobis peperere: an ijs, quorum ope ad hæc uſq́ tempora integre ſeruata ſunt. Tuo igitur ductu, qum ſubinde alij atq́ alij inſigne[s li]belli, ex officina Ioannis Schotti chalcographi impēdio ſolertis, haud ſecus, q̄ [ex] duratæo equo fortiſſimi armati prodierint; ſuperioribus diebus be-

nigne me adhortatus es,ut libellum Sebaſtiani Virdung de Inſtrumentis Muſicis,ex Germanico Latinum facerem:ſic enim fore,ut etiam ab exteris Muſicæ ſtudioſis legi poſſit.Ea tamen lege,ut liber eſſem ab hac fide,quę abs quouis interprete exigitur:liceretq; nobis (ſi modo ex re lectoris id futurum ſperaremus) ab authore longo interuallo diſſentire. Nam quo licentius id fieret, multorum nobis proponebas exemplum: qui in alienis libris reſtituendis non ſine gloria laboraſſent. Id quod in hoc libello operæ precium exiſtimabas: cui, ut ex certis coniecturis deprehendere licet, propter ereptum præmature e uiuis Sebaſtianum,ſupremam manum conſtat haud quaq; contigiſſe.Igitur tantum abeſſe dicebas,ne quis interim uicio mihi uertat,ſicubi a Sebaſtiani ſententia tota ratione deſciuero:ut etiam gratiam non mediocrem hac occaſione a ſtudioſis ſim reportaturus:uix enim futurũ arbitrabaris,ut hęc qualiacunq; ſint,diligentius quiſpiã amplexetur,ob id,quia ſumma cura ſint translata,q̃ ꝙ ex aliqua ſaltim parte uideantur utilia. Ego quamuis primo cõtra officium arbitrarer futurum, ut meo nutu in alieno ſolo ædificium extruerem. Deinde, ut tempus ſeuerioribus ſtudijs deſtinatum, in his leuioribus ſarmentis legendis perderem. Vicit tandem apud me ratio, tibi uir optime, atq; omnibus ſimul Muſicæ ſtudioſis gratificandi. Et quidem in ipſo ſtatim operis ingreſſu (quo uotis tuis reſponderem) ſatis affabre Sebaſtiani perpendiculum æquando ædificio noſtro congruebat. Verũ cum ſubinde alias atq; alias quæreremus excurſiones, quibus utile dulci commiſceremus, neſcio quomodo fit, ut amphora incepta, iam tandem urceus exierit.

rit. Cæterum nihil moror ob id amicum lectorem: neq; admodum magni refert, ſub cuius nomine legantur dialogi iſti, noſtro marte utcunq; concinnati, ſiue Sebaſtiani & Andreæ: quando illis libelli congruit principium: ſiue Ottomari & Bartholomei Stoffleri: eſt is enim municeps noſter, uir in literis & re Muſica non parum exercitatus: cum illo enim eodem freti contubernio, ſuccisiuis horis de Muſicis multa iucundiſſime fabulamur: quæ neq; nos unquam ſcripſiſſe pudebit: neq;, uti cōfidimus, lectorem (niſi forte magnopere delicatus fuerit) onerabunt. Quod idcirco admonui, ne Sebaſtiano adulterinum quaſi partum ſuppoſuiſſe uiderer, uulgando eius nomine id quod ipſe haud quaq; ſcripſiſſet. Bene ualeto uir præſtantiſſime. Argentorati anno Christi. 1536.

Andreas Siluanus. Sebaſtianus Virdung.



¶ MVSVRGIAE LIBER PRIMVS.

Dialogi Primi Interlocutores.

Andreas Siluanus, Sebaſtianus Virdung.

Siue malis,

Bartholomeus Stoflerus, Ottomarus Luſcinius.

ANDREAS.


IN C Olumem aduenisse te , Sebaſtiane ſuauiſſime,uehementer gaudeo: non tam eius rei gratia, ꝙ tibi ex ſententia res ceſſerint, ꝗ ꝙ nobis iampridem reſtitutus es. Quis enim ſemel tibi iunctus amicicia,non ęgre careat tuo contubernio? Sed illud quęſo in primis(ſi uacat (exponas nobis,quid nam rei te impulerit,ut alienas peregre luſtrares regiones:uix enim crediderim,te incaſſum laborem tam arduū tentaſſe. S. Non falleris Andrea chariſſime. Qui enim externas penetrarem regionum oras, niſi me ſpes aliqua teneret, eas conquirendi merces, quas apud noſtrates non ita paſſim inuenias obuiam? Nam quæ undiq; in promptu ſunt,atq; omnibus expoſita,non perinde habentur in precio, atq; ea, quæ ingenti ſudore, ſummoq; ſtudio comparantur. Neq; uero id meum eſt exemplum:quin uideas plęroſq;, nulla uitare maria,nullam uiarum aſperitatem declinare, nulloſq; latronum horreſcere inſultus, quo exoticum quiddam ad corporis cultum afferant. Cæterum ad animi decus comparandum,quis non magis Platonem imitetur, atq; Pytha-

goram,

goram,reliquoſq;: qui nihil terrarum non adiere: ubiq; gentium id ſolum indagarunt,ut alioqui docti euaderent doctiores: quęſtumq; facerent earum rerum, quæ cum domino ſimul enatare poſſent,quocunq; illum uis uentorum illiſa naui,tempeſtaſq; adegiſſet. Nam quis non uidet,merces illas longe omnium eſſe laudatiſſimas,quæ uili ære prorſus eſtimari non poſſunt? Quod genus eſt inprimis omnium ore celebrata Muſice,inuentum inter cæteras nimirum animi dotes uel ob id magis frugiferum,ꝙ ſolum (uti putat Theophraſtus) male affectis corporibus medeatur,& animis. Huius perdiſcendæ gratia non parum laboris ſuſcepimus: quando ad eam aſſequendā non unus ac ſimplex patet aditus. Sunt enim,qui circa numerorum habitudines, unde & ſonos regulatos prodire conſtat,occupati,perpetua contemplatione,quibus rationibus illę conſiſtant,explorare nituntur: & ſunt,qui uim eius uarijs explicant inſtrumentis: deniq; inuenias,qui uoce produnt,quid uirium contineat harmonia. Neq; uero unq; impenſe me pœnituit,aut operæ: quando iam palam eſt,hanc pręclaram diſciplinam,anxij cuiuſq; laboris gratiſſimum eſſe lenimentū. Hæc mentis tetrum diſcutit nubilum: adeoq; mire leuat animum preſſum erumnis,ut nemo non deo immortali acceptum referat tam frugi inuentum. Mitto Orpheum,& Linum, utrunq; dijs genitū: quorum alter dum rudes atq; agreſtes animos mulceret, non modo feras,uerum etiam ſyluas & ſaxa dicitur traxiſſe. De origine Muſicæ iam lubet diſſerere. Homerus omnis prorſus antiquitatis impenſe gnarus, quum iam uul-


Extant autem nonnulla, quæ ſingulis quibuſq; uocibus modulandis ſunt accommodata. Qualia ſunt,

Trūſcheit.






Geigen. Gros geigen.




De alio genere, Inſtrumenta reperias & ipſa chordis referta, quæq; pluribus uocibus reddendis apta ſunt, neq; plectris exuberant, aut interuallis commenſurantur, ſed ſinguli nerui ſingulos preſtant ſonos.

Cythara.



Pſalterium.



Sequens Inſtrumentum ignobile eſt, propter ingentem ſtrepitum uocum, ſe ſe mutuo præpedientium.

Hackbret.



A. Nunc ſi uacat, Inſtrumentorum ſecundi generis nobis explica rationem. S. Inter ſecundi generis Inſtrumenta, quæ flatu concepto inſonant, illa primas ſibi uendicare ab omnibus indicantur, quæ a follibus ſpiritu turgidis, accipiunt coactum aera: hic pro arbitrio magiſtri qui ea pulſat, in cellas cannis confines transfuſus, mox erumpit in ſonum. Hæc ſicut maiore ſumptu parantur, ita etiam quæuis alia organa uocalitate ſua facile ſuperant, pręſtant fructu, uarietateq; inſigni exuberant. A. Edoceas quęſo nos paucis, quo hæc liqueant clarius. S. In primis pleraq; alia Inſtrumenta in uſum humanum aptantur, ſolis hijs prope

 modum

modum ad Dei præconium relictis. Habent præterea plus roboris, quæcunq; grandi, perpetuoq; armantur ſpiritu, ꝗ illa, quibus flatum miniſtrat humanus anhelitus, crebro ob fragilitatem intermiſſus. Adde, ꝙ iam nouo inuento tanta in illis eſt uocum uarietas, ut qui hæc habeat ſola, cuncta habere cætera uideatur. Taceo, ꝙ in hijs pulſandis, uel mediocriter eruditus, eximios aliorũ Inſtrumentorum magiſtros facile uicerit: quippe cui ad negocium capeſſendũ manus ſunt pedeſq; inſtructi. Huc accedit, ꝙ uaſa Muſica communi appellatione Organa dicuntur, nimirum ob generis excellentiam, qum a Græcis omnia quæcunq; ſonora ſunt, hoc nomine uocentur. A. Probe narras. Id fere ubiq; gentiũ nunc eſt receptum, ut Organa rei diuinæ adhibeantur: ne quis noſtra ſacra interim inferiora exiſtimet ijs, quę Romani etiamdũ ethnici, ſummo Muſicæ ſtudio quondam celebrarunt. Ita enim memoriæ proditum eſt, C. Iunio Bub. Ter. & Qu. Aemilio Coſs. Tibicines qui ſacris pręcinebant, prohibitos in æde Iouis ueſci, Tybur uno agmine abijſſe: Senatũ imminutę religionis impatientẽ, Tyburtinos oraſſe, ut homines reſtituerent: accitos in curiam a Tyburtinis, exoratos tibicines minime paruiſſe. Conſilio deinde haud abhorrente ab ingenijs hominũ, inde a Tyburtinis circumuentos tibicines, quippe per ſpeciem ibi celebrandarum cantu epularum inuitatos, uino (cuius ferme auidum genus eſt) oneratos, ſopori indulſiſſe, tum ita uictos ſomno, in plauſtra coniectos, Romam delatos eſſe, plenos crapula, poſtera luce ipſos in medio foro opprimente repertos. Con


currente

currente dehinc populo,precibus detenti tibicines,facta tamē illis primo in æde
Iouis ueſcendi poteſtate. Sed quoniam in mores Muſicorū incidimus,tu uelim
certiorem me reddas,num Muſicę uim ullam habeat,mores eorum corrumpen
di,qui ea ſe impenſius oblectant.Quod ſi dabitur,ualeant qui ſe hoc titulo uendi
tant:mihi ſatius fuerit,cum Themiſtocle eſſe ἀμουσὸν,ꝙ moribus in deterius cō-
mutatis μουσικοτατὸν. S. Bona uerba quęſo. Quis unquam tanta fuit uecor-
dia, ut Muſicam ab ingenuis diſciplinis deſciuiſſe arbitretur,quarū una omniū
uirtus eſt,integritati uitæ conſuluiſſe? Docet id palam notiſſimus ille Græcorū
uerſiculus, βραβεῖον ἀρετῆς ἐστὶν ἐν παιδευσία. Sed hęc communia ſunt.Quod ad
Muſicam attinet, primas illi tribuunt Pythagorei in componendo ad uirtutem
animo:ſolitum enim illis fuit,lyra excitari a ſomno,illaꝙ obſtrepente ſopiri:non
tam aliam ob cauſam, ꝙ ut mentes harmonia lenirentur, ne qua turbida cogita-
tio obreperet improuidis. Veruntamen quid attinet cōmemorare Muſicos egre
gios,primæꝙ cohortis, quibus penitus illapſa Muſice, a uicijs prorſus liberum
animum reddidit? Quarū ſi quis Cathalogum texere uolet, rite ut Aratus a Io-
ue,Fabius ab Homero,ita ille quiſquis futurus eſt,a Paulo Hofhaimer auſpica-
bitur. Hic in alpibus Noricis non longe a Saltzeburgo progenitus, ſtemmatis
donatus a diuo Maximiliano Cæſare, cuius ille aures tenet, quoties organo ſa-
cris præcinit,trahitꝙ ſimul mentem quo lubet:nobilis alioqui,incomparabili in
genio,ſummaꝙ animi dexteritate. Quicquid enim Roma ſuo debet Romulo,


aut Camillo, hoc totius rei Muſicæ uniuerſitas Paulo tribuit, ſuo inſtauratori. Magna illi in re Muſica gerenda ineſt grauitas, neq; leporis minus. Non illum protenſa in longum Camœna, ulli faſtidioſum reddit, non breuitas deſpicabilem. Nihil nō patente erumpit meatu, ubi ubi ille manus, animumq; intenderit. Nihil ieiunum apparet, nihil frigidum, at neq; languet quippiam in illa angelica harmonia: quinimmo ubere uena, ac patente meatu, feruent & ſucculenta ſunt omnia. Mira articulorum lenitas, non frangit ſublimem illius modulandi maieſtatem. Neq; uero illi ſatis eſt eruditum reſonaſſe, niſi etiam amœnum quiddam & floridum concinuerit. Carmine quæuis adeo ſuis abſoluta ſunt numeris, ut ſi momentum inde ademeris, integritate ſua deſtitutam plane iam harmoniam ſentias. Varietas illi tam immenſa, ut ſi hunc aliquot annis quiſpiam audiat canentem, non tam miretur, unde tot amnes euomat oceanus, q̃ unde ille depromat modos. Atq; uir tantus, nũc quidē ſupra triginta annos in magiſterio ſuo emenſus, quum multos, qui in hoc opus neruos omnes intenderunt, longe poſt ſe reliquerit, nullum ſe paſſus eſt ſuperare, ac ne ęquare quidem. Deniq; (ut paucis dicam) quod de Cicerone ſentit Fabius, id iam uulgo probari uideo, ut uidelicet iam ſe in Muſicis profeciſſe ſciat, cui Pauli noſtri harmonia ualde placet: quiq; ut illi fiat q̃ ſimillimus, noctes laborat, ac dies. Cæterum, reliquit hic Paulus μυσικότατ☉, ætate iam uergente in ſenium, non paucos poſt ſe diſcipulos & (ſi dicere licet) Paulomimos, qui paſſim in Diuorum ædibus, locis celebrioribus, honore

nore ſimul ac re familiari aucti, ſacris præcinunt. E quorum albo quidam ſunt mihi non ad faciem cogniti ſolum, quinimmo propter ingenij pręſtantiam, morumq; ſynceritatem, intra pectoris penetralia recepti, Ioannes Buochner apud Conſtantienſes, Ioannes Kotter Argentinus apud Bernenſes Heluetiorum, Conradus apud Spirenſes, Schachingerus apud Patauienſes, Bolfgangus apud Vienenſes Pannoniæ, Ioannes Colonienſis apud Saxonum ducem. Prætereo reliquos, quibus cum nulla mihi intercedit familiaritas. Atqui paucos hos, idcirco tranſeo, quia, ut Maro inquit, ſunt hic etiã ſua pręmia laudi. Tum referre non parum exiſtimo ad artis cuiuſq; plenam traditionem, ut proferantur eius inſtituti principes, quos imiteris, & ad quorum exempla te componas. A. Nemo ſane recte reprehenderit hanc tuam diligentiam. Ita enim mihi perſuaſum eſt, non parum multum ad cognitionem diſciplinæ conducere imitationẽ. Sed nũc quęſo prodas horum Inſtrumentorum figuram, ac nomina, quorum cauſa te in tantum magiſtrorum pelagus conieceris. S. En tibi pręſto ſunt.


Portatiuum.




Poſitiuum.



Regale.





Organum.

go receptum eſſet, Muſicen artem omnium ingenioſiſſimam, nobis non hominis cuiuſpiam, ſed Diuorũ eſſe traditam beneficio, inſtructo artificioſe Deorum conuiuio, Apollinem immortalium longe ſapientiſſimum, tanq̃ Muſicæ inuentorem, citharæ impulſu exhilarare Deos facit, Iliados α.

ὀυ μὲν φόρμιγγος περικαλλέος, ἣν ἔχ᾽ ἀπόλλων
μουσάων θ᾽, ἁι ἄειδον ἀμειβόμεναι ὀπὶ καλῇ.

Id eſt, Præpulchram citharam Muſas tenet inter Apollo,
Viciſſim dulces quæ miſcent murmure uoces.

Lucianus proinde, qui Deos omnes ſuis depinxit coloribus, Mercurio eloquenti & cordato deo, Muſicen tribuit, atq; ab illo eam ait fortuito repertã, hijs quidem uerbis: ἀλλ᾽ ἤδη καὶ μουσικὸν, χελώνην που νεκρὰν εὑρὼν, ὄργανον ἀπ᾽ ἀυτῆς συνεπήξατο πήχεις γὰρ ἐναρμόσας, καὶ ζυγώσας, ἔπειτα καλάμους ἐμπήξας καὶ μαγάδιον ὑποθεὶς, καὶ ἐντεινάμενος ἑπτὰ χορδὰς, μελῳδεῖ πάνυ γλαφυρὸν, καὶ ἐναρμόνιον, ὡς κἀμὲ ἀυτῷ φθονεῖν τὸν πάλαι κιθαρίζειν ἀσκοῦντα. Id eſt, Iam uero Mercurium eſſe Muſicum noueris. Teſtudinem enim alicubi emortuam reperit, ex qua, iuncto ei manubrio, & compoſitis calamis, fundi lyræ impoſitum organum compegit, in quo ſeptem extenſas chordas argute admodum, & impendio concinne pulſat: adeo, ut me urat inuidia, ſicubi ſimile quiddam aggredi in cithara tentauero. Hactenus Lucianus. Cæterum quiſquis huius inſignis diſciplinæ author extiterit, iam in propatulo eſt, plurimum eam undiq; inualuiſſe:

adeo, ut ne ulla quidẽ gens tam feris ſit moribus, a qua Muſica prorſus exulet, neq; ulla ſit in parte recepta. Proinde, ut ego propemodum ſuſpicor, natura non parum confert adminiculi, ut Muſici ferme omnes ultro ſimus, pauciſſimis quibuſdam amuſis tantum, ex hoc albo, tanq; monſtris, reiectis. Rari enim illi μοναδικοι, quibus rerum parens natura, non ſuggerit Muſicam: quiq; illam non tam ob aliam cauſam habent exoſam, q; quia ſunt ueluti ὄνος λύρας. Ego non minus portenta dixerim, q; chymeras, tragelaphos, aut hippocentauros illos, qui præter ſolitum animantium naſcendi ritum, editi ferũtur. A. Non poſſum non probare inſtitutum tuum. Præclare enim tecum agitur, ſi id tibi eſſe liceat, quod ſapientiſſimis quibuſq;, qui uniuerſam uitam peregrinationi deſtinarunt, doctrinæ conſequendæ gratia. Id quod ad ſapientiam comparandam non parum habet momenti, teſte Marone, qui Aeneam ſuũ terris mariq; iactatum inducit, & Homericus Vlyſſes, πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα, καὶ νόον ἔγνω. Sed qum (ut ais) natura Muſicen ſuppeditet, quid attinet obſecro, tot ſubijſſe labores, erumnas, pericula, etiam cum uitæ diſcrimine? S. Etſi nihil in omni re, quæ ſaltim uſui eſſe poteſt, nõ fere palam fecerit natura, ita, ut hac ſola refragante, nihil ulli credamus eſſe tentandũ, tamen haud mediocriter in uniuerſum profuit, ars atq; induſtria: qua ſi careas, quantumcunq; ſtipatus fueris naturę beneficijs, in opere aggrediundo inops eris conſilij, neq; multum abſimilis feraci quidem agro, at neglecto atq; inculto. Deniq; ſi ſolis naturæ dotibus contenti, artes contempſerimus,

rimus, cur non nudi, quemadmodum prognati ſumus, prodimus in publicum, cum beluis idem nobis ſit cibi potuſq; commercium, inertes ac ocioſi uitam agamus? At iam palam eſt, naturam homini non parum in arte conſtituiſſe pręſidij, ſine qua ſordida iam plane, inculta, manca, atq; etiam pudenda ſunt omnia. A. Præclare hæc non minus q̃ acuto iudicio recenſuiſti Sebaſtiane Camœnis tuis ornatiſſime. Iamq; nos in ſpem erigis, tua & aliorum ope futurum, ut ferox a plęriſq; ſcriptoribus prædicata Germanorũ natura, tot egregijs diſciplinis aliunde conuectis ad nos imbuta, miteſcat parumper, ac reddatur manſuetior. Vix em̃ adducor, ut credam Germanię noſtrę tam infenſos eſſe Superos, aut fuiſſe unq̃, ut non illa ęque cum alijs gentibus eruditione certare poſſit, ſi modo animus noſtratium ingenua excolatur doctrina. Nam quod ad mores attinet, quo pacto probitate ullo hominum generi inferiores ſimus, ego non uideo. Sunt enim nationes quædam ſuo iam notatæ cauterio, quod fœda morum labes iam olim illis inuſſerat. Quale eſt illud, *τρία κάππα κάκιστα*. Et illud Epimenidis, quod Paulus citat Apoſtolus, *κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται κακὰ θηρία γαστέρες ἀργοί*. Quo contra Germanis, ob ſummam ingenij dexteritatem, nil aliud q̃ ſimplicitas obijcitur; uirtus nimirum, quam Chriſtus, recti atq; ęqui uerus magiſter, in ſeruis magnopere deſyderat. Sic enim ait apud Matthęum, *γίνεσθε φρόνιμοι ὡς οἱ ὄφεις, καὶ ἀκέραιοι ὡς αἱ περιστεραί*. Id eſt: Eſtote prudentes ueluti ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. Itaq; ſi ad nihil aliud conducit prudens illa ſimplicitas, hoc potiſſi-


mum lucris noſtris debet accedere, ꝙ a morum quorundam portentis liberi redimur, quibus fęx iſta hominum ſcatet, quæ doli ac fraudis cõmenta iugiter animo uerſat: πολυτρόπȣς ſane licebit huiuſcemodi appellare, uerſatili quopiam ingenio præditos, uafros, ac uerſipelles Catilinæ mimos, qui (ut Criſpus tradit) cuiuſq; rei ſimulator erat, ac diſſimulator. Sed ut ad literas redeam. Sicut facile fuit Homero & Demoſtheni, palmam eloquentiæ Latinis præripere, nemine admodum reluctante, eoq; potiſſimũ tempore, quo Romani a literis ferias agerent: ita maiorib. noſtris non operoſum fuit, a Marone ac Tullio ſuperari doctrina & eloquio: qum hic moueret Euphrates, illic Germania bellum. Verum em̃ uero quantum promouere potuerint noſtri in literis, ſi unq; maiore ſtudio artes, ꝗ rem militarem tractaſſent, non pauci nobis fuerũt documento, quibus totum illud noſſe contigit, quicquid a clariſſimis ſcriptoribus in nobilioribus linguis paſſim eſt comprehenſum. Videberis autem & tu non mediocri adiumento eſſe omnium diſciplinarum ſtudioſæ Germaniæ noſtræ, ſi ei utcunq; aperueris recte modulandi rationem: quandoquidem & illa non parum habet momenti ad κυκλοπεδίαν, id eſt, diſciplinarum uniuerſum orbem feliciter abſoluendum. S. Recte mones, faciſq; tuo inſtituto ſatis, qui nihil unq̃ lucris tuis acceſſiſſe arbitraris, niſi id fuerit cum ſumma eruditione coniunctum. At iam in confeſſo eſt, prodente Platone, & item Ariſtotele, inter egregias artes Muſicam minime extremas tenere. Cæterum, quod ad me attinet, uereor ne parum ualida tibi noſtra In-

ſtitutio


ſtitutio uideri poſſit, ad omnia ea aſſequẽda, quæ pręſtare de ſe debebit, quiſquis Muſicus inſignis haberi uolet. A. Vt uidere uideor, ſchedę quas manu geſtas, iucundam quandã, & minime ingratam nouitatẽ præ ſe ferunt, quę mihi uſui futura foret ad rem Muſicã aſpiranti, ſi tibi moleſtum non eſſet, mihi harũ uidendi poteſtatem facere. Nam etſi nulla in te collata merita hoc uideantur expoſcere, id tamen pro uirili curabo, ut in poſterum tanto a te affectus beneficio utcunq; reſpondeam. S. Facerem quod petis, ac lubens, ſi id modo ex re tua futurum perſpicerem. Quomodo enim tibi non gratificarer, cui ob amicitiam, quæ cum annis creuit ſimul, nihil uideor non debere? Verũ quo pacto ad te redire poſſit uel exiguus fructus ex ſolo iſtarum rerum obtutu, mihi haud quaq; perſpicuum eſſe poteſt, ob raritatem operis potiſſimum, atq; magnitudinem. A. Quandoquidem non admodum conducibile tibi uidetur, obiter iſta cuipiam offerri, & ſolum a limine, ut dicitur, ſalutari, te obſecro, niſi aliud te diſtinet negocium, tuo ductu, introſpicere nobis liceat, ac ſinus omnes harum rerum, quas abs te repertas, certis coniecturis deprehendimus, penetrare. S. Qum, ut uideo, te huius non piget laboris, non cunctabimur, breuiter ſimul atq; dilucide omnia, quæ ad Muſica Inſtrumẽta, legitima ratione uocalia reddenda, pertinere uidentur, aperire, tu modo fac attento ſis animo. A. Vellẽ primo omniũ in partes digereres ea, de quibus dicturus es, quo aptius ſibi cohęrerent ſingula. S. Ita faciam. Vaſa ad harmoniam reddendam apta, quæ a Græcis Organa dicũtur, poſſumus nos in-

ſtrumenta appellare: ea in triplici reperiuntur uarietate. Quædam enim ex neruis in ſe protenſis ſonora fiunt: alia ſpiritum recipiunt, qui iuxta receptaculi magnitudinem grauius intonat, aut acutius. Sunt præterea, quæ ex ęre conflantur, atq; pro ponderis habitudine diuerſum reddunt ſonum. Et quidem ea quæ neruos recipiunt, noſtri Luſum chordarum uocant (uulgo Seytenſpil) Ego qua ſint figura, quoue noſtratium nomine cenſeantur, nunc oculis ſubijciam.


Clauicitherium.




Virginale.




Clauichordium.



Clauicimbalum.




Lyra.



Omnia hæc Inſtrumẽta habent plectra (ſic enim illa uocant) chordas diuerſis in locis contrectantia: quę dũ manibus agitantur, uniuerſum rei harmonicæ concentum abſoluunt; ita, ut nihil ultra deſyderare queas,

re queas,quod illis Inſtrumentis poſſit accedere. Sunt proinde ex hoc genere alia uaſa Muſica,quæ plectra non habent, ſed eorum loco certis locis uocum ſignata interualla. Hæc qum præter pulſum,qui fit ſonitus reddendi gratia,etiam interuallorum huiuſcemodi contactum exigant,iam fit,ut laborem duplicatum requirant. Cæterum uicit iam labor naturam , eoq; humana progreſſa eſt induſtria , ut nihil non æque his Inſtrumentis artis magiſterio exprimi poſſit. Sunt autem ferme illa quæ ſequuntur.


Lutina.




Atq; iſta quidem Organa ad plurifariam reddendam uocalitatem idonea ſunt,ideo maxime Muſica uidentur.

Extant


interrogatum, cuius rei gratia mare haberet infeſtum; protinus non minus uere, ꝙ intrepide reſpondiſſe: Et cur tu Alexander, orbem terrarum? Maioris plane latrocinij Alexandrum inſimulando, ꝙ poſſet ſuggillari is, qui unico tantũ naui gio res alienas inuaderet. Atq; ſi Chriſtus meis uotis annueret, id ſolũ expoſcerem, ut pacem nobis illam largiretur, quam toties imprecatus eſt diſcipulis, & quam angeli Muſicis modulis ipſo nato futuram concinuerunt orbi. Detruſis interea in aliquem locum ſubterraneum mõſtris illis Briareo & Centauris, ubi perpetuo eis contingit id, quod ſummo ſtudio affectant, nempe belligerare. Fallor, niſi in ea ſentẽtia fuerit ſanctus rex Dauid, qum diceret: Diſſipa gentes, quæ bella uolunt. A. Probe dicis. Sed quomodo ad Muſicam? Recte mones, ut hæc miſſa faciam, tanꝙ diſſona, & ſtridorem ac luctum magis, ꝙ iucundam harmoniam mouentia: attamen locus exigit, ut poſt Muſica Inſtrumenta, etiã iſta, quæ amuſa ſunt, commonſtremus.






Conſulto hic nonnulla Organa prætereo, quę ut Stentor ille Homericus, ob uocalitatem inſignem, magis fuerunt in precio, quam euphoniæ gratia. Quod genus eſt Hebreorum tuba, fiſtula, Cythara, Sambucca, Buccina, Pſalteriũ, Tympanum, & Chorus, in typum, ut teſtatur diuus Hieronymus in epiſtola ad Dardanum, non in euidentem utilitatem, aut uoluptatem inſtituta. Sic enim Paulus ſcriptum reliquit in epiſtola ad Corinthios, ταῦτα δὲ πάντα τύπει συνέϐαινον ἐκείνοις. Vbi autem iam illuxit ueritas, neceſſario ſublata eſt umbra, quæ ueritatem prius palliabat. Vnde fit, ut nunc omnia huiuſmodi Organa ſint neglecta. Quod ideo dixi, ut etiam nimium curioſis faciam ſatis. Sunt autem ferme hæc.

Tympanum Jheronimi




Pſalterium Decachordum.




Pſalterium Decachordum aliud.




Cythara Hieronymi.



Alia Cythara Hieronymi.




Alia Cythara Hieronymi.







Tuba Hieronymi.




Fiſtula Hieronymi.



Organum Hieronymi.



Cymbalum Hieronymi.



A. Nunc te orauerim, quandoquidē nihil admodum confert utilitatis, figuram Inſtrumentorum, rationemq; percepiſſe, qua fiunt ſonora, nam id quoq; plebei norunt, ne graueris obſecro nos docere, ut concinne modulemur, quo Iopan illum Vergilianum, uel Demodocon Homericum æquare poſſimus cantando, aut (quod malimus) uincere. Nam clariſſimis illorum prouocati exemplis, eam nobis gloriam propoſitam credimus, ſi argutum concinuerimus, quæ iſtis iam contigit tam inſigni preſtantiſſimorum poetarum tuba celebratis. Eximium certe pręconiū eſt, eundem & Muſicum eſſe, & Philoſophum, qualem inducit Vergilius, dum inquit: Cythara crinitus Iopas

Perſonat aurata, docuit quæ maximus Atlas.
Hic canit errantem Lunam, Soliſq; labores,

Vnde

Vnde hominum genus,& pecudes, unde imber & ignes,
Arcturum,pluuiaſq; Hyadas, geminoſq; Triones,
Quid tantum Oceano properent ſe tingere Soles
Hiberni,uel quæ tardis mora noctibus obſtet.

Nec profecto minoris gloriæ eſt,ſimul cum Muſica,quicquid cognitu dignũ eſt,in uniuerſum percepiſſe, qualis ab Homero Odyſſeæ θ inducitur Demodocus.


MVSVRGIAE LIBER SECVNDVS.

SEBASTIANVS.


NVNC demum aggredi conueniet id,quod poſterius eſt huius inſtituti,ne concepta iamdudum de nobis ſpe fruſtreris. Atq; ut id commodius proſequamur,illud in communi te præſcire operæ precium eſt: Omnino tenendam eſſe ei,qui apte cupiet Organis canere,uniuerſam concentus rationem. Hanc antem in primis pręſtabit ars,imitatione comitata,& frequenti exercitio. Ars quibuſdam pręſcripta eſt præceptis,quæ hic tradere,longum eſſet: neq; uideo,quo pacto uotis tuis poſſint reſpondere. Quin magis ex re tua futurũ cenſeo,ut ea in præſens tractemus, quæ multis exemplorum milibus,iamdudum a magiſtris huius artis ſunt tentata: horum ſi quis bonam partem apte modulatus fuerit Organis, iam tum in promptu eſt,ut pro captu ingenij ſui conetur ſimile quippiam audere. Quibus

A. Sola ne hæc Organa ſunt, quæ ſonora fiunt, immiſſo ſpiritu? S. Sola inquam, quæ alunde, quam a magiſtro, qui ijs canit, flatum captant: nimirum ob id liberaliora, quod a canendi perito non niſi unũ exigunt negocium. Cæterum locus poſtulat, ut & ea commonſtremus, quæ magiſtri ore inflantur, ad hæc agitata manibus: non enim uideo, priſcis, noſtriſque hæc iam olim habita neglectui. Quanque nõnulli Alcibiadem tradant, deteſtata oris habitudine in ſuppeditando ſpiritu, tubam qua canere diſcebat, longe a ſe proiectu confregiſſe. Veruntamẽ ſi quem iuuat hijs Organis famam aucupari modulandis, unico hoc certe non (quo minus id faciat) abſterrebitur exemplo. A. Tu igitur exponas, quæ ex hoc ordine Organa eſſe arbitreris. S. Hæc fere coniector, quæ cernis.


Bombardt. Schalmey.




d




Flœten.



Schuuegel, Zuuerchpfeiff.




Ruſpfeiff.
Krumhorn
Gemſen
horn.
Zincken.



Krumhœrner.

Platerſpil.





Sackpfeiff.




Hæc uaſa Muſica per longum diſtincta, legitimis foraminum interuallis, ſeu dicere mauis, cicutis, aut internodijs, ſeptem uocum diſcrimina præbent pulſanda, aptatis ad hoc ex utraq; manu digitis. Accedunt proinde tres aut quatuor uoces ijs inſtrumentis, quæ unicum habent foramen a tergo, ſi illud pollice paululum aperueris, intenſo ſimul parumper ſpiritu: quæ res q̃ accõmodata ſit ad modulanda carmina, quibus uagus eſt nunc in ſublime, nunc in profundum tranſitus, nemo eſt qui ignoret. Cæterum in quibus perpetua ſpiritus uehementia exigitur, in talibus Organis ultra ſeptem uocũ diſcrimina nihil eſt reliqui: niſi ſummam illam uocalitatem adnumeres, quam prębet Organum, nullis admotis digitis: ea enim uox harmoniam facit diapaſon. Vnde ſi artis huius periti trifarias uoces, quarum nulla diapaſon exceſſerit, fuerint modulati, dũmodo inſtrumenta illa huiuſmodi ſint ad inuicem habitudine, ut graue a medio diapente uincatur, & pari modo ab acuto medium: tum fiet, ut quantitas ipſa ſonorum ultra ſpacium dis diapaſon ſe porrigat. Ex quo perſpicuum redditur, q Organa quæ flatu agitantur leniori, ad omnes cantiones præſenti artificio abſoluendas, longe ſint aptiſſima: cætera non item, propter ſyſtematis anguſtias. Syſtema autem uoco, ſonorũ ab infimo in ſummũ extenſionem. Eſt & aliud ex eo genere Inſtrumentorum, quod humano flatu ſonorum fit, ex ære plerunq; conflatum. In quo mirum uideri poteſt, q̃ differentes poſſit intenſus modo, modo remiſſus ſpiritus ſonos edere. Fiunt præterea quædam tubæ ductiles: ne qua in parte Muſicæ deſit mo-

ſit modulandi facultas. Quæ quamuis monophona ſint tantum, tament habent ſyſtema: ut ſi polyphona eſſent, ſufficerent plane ad quadrifarias uoces reddendas ſingulæ; adeoq; in hac parte Muſicæ uoces multiphariam exuberant, ut neſcias, artis beneficia, an naturæ mireris magis. A. Exhibe precor hæc Organa, ut uideam. S. Hic coram ſunt, aſpice.






Clareta.



Thurnerhorn.



A. Videre uideor, iam nihil abs te prætermiſſum ex ĳs Organis, quæ rationem Muſicam præ ſe ferre probantur. S. Nihil fere uocalium Inſtrumentorum eſt, quod non attigerimus. Extant tamen nõnulla ærea corpora, ex quibus pro diuerſa ponderis qualitate, differentes licet ſonos elicere. Aiũtq; hac uia Pythagoram primum reperiſſe modos. Nam is collatis inter ſe corporibus, ex diuerſa eorum habitudine, proportionem rei Muſicę accommodatam dicitur col-


legiſſe

legiſſe. Idem traditur feciſſe, dum errantium ſyderũ metiretur diſtantiam: adeo nihil eſt uſpiam in rerum natura, quod non ſit cum Muſica communitate coniunctum. Iamq; ex illis ego tibi quædam ſpectanda proponam.

Cimbala. Campana. Incus. Mallei.








Hæc ferme ſunt Organa, quæ Muſica poſſumus appellare, propter ſonitum, quem reddunt, uocalitati magis confinem. Verum commemorare iam obiter lubet, nonnulla eſſe, quæ ſtrepitum ciere poſſunt magis, ꝙ amicum auribus ſonitum edere: inter quæ tanto iam plurium conſenſu primas obtinet timpanũ, quo bellatores noſtri claſſicum canunt: aptum certe organum tali ingenio, in quo ſimul omnia ſibi permixta ſunt, atq; confuſa, exulante illic concordia & tranquillitate,

litate, quibus rebus Muſica noſtra maxime opus habet. Similem igitur (ut habet prouerbium) inuenerunt labra lactucam. Corruptū enim illud murmur, & horriſonum tonitru, mirum eſt, q̄ apte quadret huic hominum fęci, quæ tam ſecum diſſidet ipſa, q̄ cum toto humano genere. Quicquid enim uſpiam eſt in moribus ſordium, quicquid ſceleris, aut impietatis, huc ueluti ad inexhauſtam delictorum ſentinam confluit. Nam, ut ex infinitis pauca quædam recenſeam, quotus quiſq; eſt eorum, qui ſanguinis ac uitæ prodigalitate ſtipem emerētur, quem a cęde, periurio, rapina, ſacrilegio, furto, adulterio, ſtupro, proditione, atq; id genus, in eam libertatem adſerere audeas, qua fruitur quiſquis nulli obnoxius eſt turpitudini? Et illa iam, proh Deum immortalem, & ijs grauiora licita arbitramur in bello, quæ alioqui ſęuioribus legum cenſuris expiantur. Quis unq; erit tam uecors, ſi modo aliquem belli guſtum perceperit, qui non concordi Grammaticorum ſententiæ ſubſcribat, quæ habet, q bellum ſic dictum ſit, κατὰ ἀντίφρασιν, quaſi minime pulchrum, minime iucundum: ſed prorſus deteſtabile, fœdum, calamitoſum, & exitiale. Iam uero etiam Principes uideas, neſcio qua ratione cōmonitos, impenſe delectari, & gladio pro defenſata plebe accepto, cunctis perniciem moliri, pro re momentanea, & mox in aliam ditionem tranſitura, cœlum terræ miſcere, omnia turbare, omnia confundere. Meminit Auguſtinus, ſacer Eccleſiæ Doctor, libro quarto eius operis, quod de Ciuitate Dei inſcripſit, capite quarto, piratam quendam ad Alexandrum magnum perductum, atq; ibi

interro-

bus iam palam eſt, rebus duabus abſolutum huius artis negocium cõtineri. Itaq; quod ad primum attinet, ſciendum eſt, quædam Organa eſſe Polyphona: quę uidelicet unica plurifarias uoces edũt. Alia ſunt, quæ ſingulis tantũ uocibus reddendis ſunt idonea. De prioribus nobis ſermo iã habendus eſt, quæ tanto difficilius a Muſico officium exigunt, quanto maiore opera rebus plurimis eodẽ momẽto, q̃ ſimplici & unico intenderis. Extat aũt non inutile inuentũ, quod multo nos leuat labore, ſi diuerſas uoces in unam compaginem redegerimus: Tabulaturã noſtrates appellant eiuſmodi con-

SCALA GVIDONIS MVSICI.



textum, quo loco notularum, quibus cantus deſcribitur inrta lineas, ſimplicibus utimur elementis, iuxta uulgatam Guidonis Muſici inſtitutionem: eam, quamuis paſſim ſit obuia, tamen quia huic negocio ex aliqua parte familiaris uidetur, non ab re duximus hic in medium præferre.

In triplici iſto literarũ ordine, conſtat comprȩhenſam eſſe omnem rationem harmonicam. A. Eſt ne omnium Muſicorum concors deſcribendarum literarum uſus? S. Minime: neq; admodum magni refert, cuiuſmodi ſignum fuerit, dũmodo rem certam & indubitatam nobis ſignificet. Nam ut de Inſtrumentis primi generis eorum, quæ ſuperiori libro propoſuimus, aliquid obiter dicamus: Paulus Hofhaymer, anteſignanus, & plane princeps eius Muſicæ, quȩ Inſtrumentis agitur, hunc fere ordinem literarum ſuis inſcribit tabulis.

										b							b
F	G	A	B	c	d	e	f	g	a	h	c	d	e	f	g	a	h
			h														

Conſtat autem, ueteres Muſicos tria dumtaxat intra ſpacium Diapaſon habuiſſe ſemitonia: primum inter e & f, ſecundum inter a & b, tertium inter h & c, cuius rei euidentiſſimum documentum prȩbent quædam uetuſtiſſima Organa. Quod ego hac ratione factum arbitror: quia in c naturalis quædam harmonia, ut Guido Muſicus tradit, exoritur: unde & Paulus noſter omnem concentus ſeriem auſpicatur, in c nimirum peculiare quoddam ponens, ut in d re, reli-


quiſq;

quiſq; deinceps ſingulis ſua impertit nomina. Cuius rei idcirco libentius memini,quo oſtenderem,maxime eſſe frugiferum, imitari Paulum, etiam in ea parte, qua licitum ſit,longe aliter ſentire. Poſterior ętas, propter immenſam concentus uarietatem Inſtrumento abſoluendam, pluribus uiſa eſt egere ſemitonijs: quæ res id tandem effecit,ut cuilibet uoci omnium conſenſu iam adiectum ſit aliquod ſemitonium,hac fere qua cernis uia.



A. Satis iam ſuperq; diſſeruiſti de tonorum ſignis: qua autem nota intelligi uelis ſemitonia,ego necdum compertum habeo. S. Sub eiſdem ſignis ſemitonia conſcribi uelim,quibus & tonos,adiecta puſilla ſolum appendice in ſemitonijs,qua a tonis dinoſcantur,demptis tantum ab hac lege ijs ſemitonijs,quę pro-


tinus poſt a. ſequuntur: illa enim ex ueteri Muſicorum ritu b, ſignantur. Iam, ni fallor, formulam tenes deſcribendi notulas. Reliquum eſt, ut ſub quanta quęuis mora ſit proferenda, ad caput literæ adſcribatur. Elementum enim in tabulis e quibus concentum in Organis pulſandum diſcimus, ſitum ſignificat eius notulæ, quæ eſt in cantu. Id uero quod capiti literarum imminet, figuram notularum: qua temporis quantitas perſpicua redditur, cõmonſtrat. Partimur autem quemlibet cõcentum, qui ex cantu in tabulas tranſcribendus eſt, in ſingula tempora. Et quidem ex temporibus quoddam eſt Perfectum, quale uidelicet ternario numero conficitur: cuius generis temporũ extat inſigne carmen Pauli Hofhaymer, quod, Tandernacken, inſcribitur. Sed quandoquidem perfectorũ temporum uſus eſt rarior, ad Imperfectum tempus deflectamus. Imperfectum ergo tempus eſt, quod ex ęquo in duo paria reſoluitur, & deſcribitur in cantu figura, quam uocant quadrigona. Sed in tabulis puncto in caput literæ coniecto, hanc temporis moram denotamus hoc modo.




Partes, in quas primo tempus reſoluitur, ſunt duæ ſemibreues in cantu, notę ad ſphęræ paulum compreſſæ effigiem exaratæ; ſeu mauis, ad rhombi formam accedentes: ut ſic, . In tabulis autem lineam rectam ad caput literę

contra-


contrahimus, quę dimidiatam temporis portionem expli-
cet, hac forma,




Semibreuis diuiditur in duas minimas, quæ in cantu ſi-
miles ſunt ſemibreuibus, recepta tantum linea ab illis differentes: & ſi-
gnificantur in tabulis linea adunca ad literæ caput depicta, hac forma,




Minimam partiuntur Muſici recentiores (nam ueteres hic conſiſte-
bant, nec ulterius progrediebantur, quod & nomen ipſum plane indi-
cat) in geminas ſemiminimas, quæ cantu a minimis non aliter ꝗ colo-
re diſcernuntur. Porro in tabulis linea dupliciter incuruata deſignatur,



Diuiditur ſemiminima in duas partes ęquales, quarum quælibet eſt ſedeci-
ma pars temporis. Nec mirum uideri debet, ſi in re tam minuta deſtitua-
mur nominibus. Habent hæ in cantu unam lineæ curuaturam: quam in
tabulas redactam triplicant, hoc modo.




Ventum eſſet iam tandem ad atomos ſonorum, niſi forent, qui ſedecimã tem-
poris particulam in ęqualia ſecarent. Apparent huiuſmodi diuiſionis
partes in cantu duplici curuatura, in tabulis autem quadruplici, hoc
typo.



At hæc quidem, quę diximus, de uocibus inferioribus ſunt intelligenda: nam
illa uox, quę reliquas acumine ſuperat, non ſcribitur elementis, ſed in lineas pun-
cta collocantur, perinde atq; in cantu: deniq; omnino eaſdem temporis differen-

tias recipiunt,quas iam commemorauimus. Huic contraria ſunt, quæ de uocis intermiſſione dicuntur: hæc modo neceſſitatis gratia fit, modo ornamenti, aut utilitatis. Pauſam uocant Muſici,a Græco uerbo παύομαι,id ſignificat,deſiſto, ſiue,quietem capto.Notantur autem prorſus eiſdem typis pauſæ in tabulis,quibus concentus moram diximus,per ſingula temporis momenta deſignari. Hoc dempto, ꝙ temporis integri pauſa a linea deſcendit, Semibreuis a linea ſurſum uergit, hac forma, T ⊥ Cæterum nullam artem Cicero plene tradi credidit præceptis.Quod ſi uſpiam uſu uenit,in hac noſtra diſciplina id accidit potiſſimum,ubi uiſa doctiſſimi cuiuſqȝ magiſtri inſtitutio,quæ manu plerunqȝ fit, longe eſt ad ſuſceptū negocium,ꝙ ſint præcepta,efficacior. Age igitur, oculos huic rei,de qua longus nobis ſermo fuit, teſtes adhibeamus, atqȝ illi carmen, quod ſequitur,qua ratione de concentu in tabulas redactum ſit,protinus diiudicabunt.




Heyli ge, onbeſl
cte
Altus





A. NVM ſupereſt quippiam, quod ab eo exigis, qui huic ſpei deſtinatus erit, ut euadat Muſicus? Nam hæc, quæ hactenus a te tractata ſunt, facile etiam ignauiſſimus quiſq; aſſequetur, ut cognita habeat. S. Id iam demum ſupereſt, quod nos quantumuis locuplete oratione prȩſtare non poſſumus, ne grauetur celebriora magiſtrorum carmina ex cantu tranſcribere in tabulas, eaq; ſumma diligentia perdiſcere: maxime uero omnium curare, ut non ſolum ſint cõcinna, quæ modulantur, quod fit, qum partes carminis in nullo ſecum diſſident, ſed etiam amœna, lepida, iucunda, arguta, atq; quatenus fieri poteſt, a uulgari ſtridore differentia. Tracto iam dudum ab oratoribus exemplo, quibus parum eſt compoſite dixiſſe, atq; erudite, niſi etiam ſplendide dixerint, liberaliter, atq; magnifice. Et quidem hæc omniũ ore laudata eloquentia, nulli contigit ſine ſudoribus. Veriſſimum enim illud, & quodammodo oraculi loco habetur, quod a uetuſtiſſimo poetarum Heſiodo memorię proditum eſt,

τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
ἀθάνατοι, μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτήν
καὶ τρηχὺς τοπρῶτον.


Virtutem Superis uiſum eſt ſudore parari
Præſepto, callis multum porrectus ad ipſam,
Atq; riget primum.

Et nos ratione non admodum diſſimili, ſentimus de Muſica, ut non poſſit ul-


lis illab

lis illabi mentibus ſine ingenti labore, acriq; ſtudio. Nam, ut præclare inquit Fabius: Nihil rerum natura magnum uoluit effici cito: præpoſuitq; pulcherrimo cuiq; operi difficultatem: quæ naſcendi quoq; hanc fecerit legem, ut maiora animalia diutius uiſceribus parentum continerentur. Deniq; non parum refert, in quem primo magiſtrum incidas, qui te, ut Achillem ſuus Chiron, protinus traducat ad optima. Timotheum profecto Muſicum, aiunt geminam mercedẽ exigere ſolitum ab ijs, qui alio ante ſe eſſent præceptore uſi: propterea, quod anteq̃ quicq̃ a Timotheo diſcerent, multa illis eſſent dediſcenda: id ipſum certe non contingebat in omnino rudibus. Niſi forte putandum ſit, Philippum Macedonum regem erraſſe, qum Alexandrũ filium, Ariſtoteli, id temporis uiro doctrinæ incomparabilis, in diſciplinam daret: aut philoſophum deſipuiſſe, qui id muneris incõſulto obierit. Ad optima autem ideo mox enitendum, monet Fabius: quia etiamſi id non contingat quod auemus, altius tamen ibunt, qui ad ſumma nitũtur, q̃ qui pręſumpta deſperatione quo uelint euadendi, protinus circa ima ſubſtiterint. A. DIXISTI hactenus ea, quæ a magiſtris iam pridem, neſcio magis obſeruata ſint, an inuenta: omnino tamen conſtat, ea eſſe recepta: iam, niſi moleſtum ſit, orauerim te plurimũ, ne graueris de eorum Inſtrumentorum ratione aliquid dicere, quæ figuram habent dolij per longum diſſecti, in quod pro tenſæ chordæ, manubrio quodam a uaſe prominente, recipiunt legitima interualla, quæ rite contrectantur lęua, occupata in neruorum pulſu dextra, amicam

auribus reddunt harmoniam. Atq; in primis neruorum ordines depinge: dein-




de rationem, qua ad Guidonis ſyſtema referantur. S. Faciam, ac lubens: uerū quod te primo omnium ſcire uelim, ordinum illorum, de quibus quæris, incertus omnino eſt numerus: iam olim enim quinq; erant, mox emerſerunt ſex, nec ita multo poſt, ſeptem uiſi ſunt, ſed rarius: ſatis autem uocum ſuperq; miniſtrant ſex ordines, ſi in manubrio interualla rite notentur, quod proximum erit huius inſtituti. Primo igitur conferamus Chelin (ſic enim hoc Organum uocant Græci, nos poſſumus teſtudinem appellare) conferamus inq; ad ſyſtema Guidonicum, id quocunq; ſit nomine Inſtrumentum. Ex re item tua eſſe poterit, ut neruorum ordines teneas, quoue apud noſtrates cenſeantur nomine. Deinde quot ab inuicem uocibus differant, in debitam uocalitatem erectæ. Id enim neminem (ut puto) debet præterire, qui Chelis pulſandæ nauarit operā. A. Nunc oro, cōmonſtres nobis, quo pacto inſcribātur manubria: nam id admodum opus eſt cognitu ad percipiendam diſciplinam de aptandis tabulis: niſi eam nobis tabularum rationem traderes, quam paulo ante propoſueras: tunc enim nouo hic leuaremur labore. S. Nihil prohibet, priores tabulas præſenti adhibere negocio. Sed urget nos una omnium in communi obſeruatio, a qua deflectere nephas arbitramur, memores illius Pythagorici ſymboli, ἐκτὸς λεωφόρου μὴ βαδίζειν. Iam igitur alias tabulas inſtituimus, quarum literæ eo ordine ſe conſequuntur, quo in manubrio ſequenti ſunt depictæ.




Vides

Vides hic in ſecũdo neruorum ordine primi interualli, incipere literarum ſeriem, & per quinq; ordines neruorum continuari. Deinde primum neruorum ordinem & ſecundum ſimiles geſtare literulas, mutata dumtaxat characterum quantitate; utpote quoniam prima uoculatio eſt craſſior, ideo grandiuſculis literis eum conuenit depingi. Adde, q primus ordo ſignatus eſt unitate arithmetica, uittam geſtante in capite. Secundus item unitate, ſed ſimplici: tertius dualitate; quartus ternione: quintus quaternione, & ſextus quinarium geſtat numerũ. Quibus numeris id demum ſignificamus in tabulis, ut chordæ uidelicet figuris arithmeticis inſcriptæ, nil aliud q impulſum dextræ exigant. Literæ autem deſcriptæ ultra huiuſcemodi impulſum, etiam contactum requirunt chordarum in manubrio, quem lęua agimus, & ſic numeri unicum deſyderant officium, literæ geminatum. A. Prioribus Inſtrumentis pulchre mihi tonorum diſcrimina, & ſemitoniorum oſtenderas: poteſt ne id pari in pręſentibus facilitate fieri? S. Poteſt, inquam, tu modo conſideres uelim, ſemitonia hac literula b ſignificari, tonos ϛαυροτύποις, id eſt, in crucis formam figuris, quæ quidam ab h quadrato, mutatis quibuſdam, tractę ſunt a Muſicis, quo frequenter tonorum uehementia exprimitur, maxime uocis mi. Sed en tibi pręſto eſt, quod petis.



Voces Diac.
Voces Cromatici generis.
Vniſo-
ni diac.
Vniſoni Croma
tici generis.

Intelligo nunc, ꝙ in procliui ſit, concentum quempiam hac uia, quam oſtendimus, redigere in tabulas. Veruntamen ne ulla inquiri poſſit, quam non tradiderimus, facilitas, mox tibi integrum Guidonis ſyſtema offerimus, cum literarũ & numerorũ, ex quibus hæ noſtræ conflantur tabulæ, ęquata collatione. Et quoniã frequenter accidit, ut in unũ neruorũ ordinẽ duæ uoces ſimul incidant pulſandæ, adiecimus in ſequenti tabula, quoad fieri potuit, omniũ uocũ æquiſonantes, ita, ut unam ex hijs, quæ in eodẽ ſunt neruo, facile in alio neruo reddere queas. Quod ut fiat perſpicuũ, doceamus exẽplo, quo res nõ tam intelligi, ꝙ ſentiri ualeat. ſ, & l. ditonus ſimul pulſari nequeunt, propter uoces ſe mutuo præpedientes. l, enim contactum requirit lęuæ in manubrio, , uero refugit: ideoq; bifariam ſonare in uno neruorum ordine, uix quaquam poſſibile, niſi chordas eiuſdem chori digito diuidas in manubrio; quod a plæriſq; fieri ſolet, non ſine notabili uocum imparilitate; quæ accidit, ubi integrum dimidiato proportionatur. Cõmodius igitur loco ſ, acceperis X in primo ordine, & l in ſecundo. Hæ ęquiſonantes in poſtrema columnula deſcriptæ ſunt tonorum: at ſi omnia ſemitonia cum eorum ęquiſonantibus, quibus ſcribenda ſint characteribus, ſcire deſyderas, illam ingredere tabellam, quæ uerſa pagina ſequitur: ſic enim futurum auguror, ut uotis tuis abunde reſpondeatur.



der 6 kore
der 5 kore
d 4 kore
der drit kore
Der 2 kore
der erst kore
Claues
die ziffern





Proinde ne quippiam ſit in conſcribendis tabulis, quod cognitionem tuam poſſit effugere, non ab re fieri arbitramur, ſi carmen ſuperius in tabulas redactū, hic denuo in has recentius inſtructas conferamus: quo in promptu ſit, differentiam ſimul inter ſe tabularū deprehendere, atq; huius inſtituti idoneo uti exemplo præfixo.

Abſoluimus nunc pro uirili noſtra ſuis numeris, quicquid Organicæ Muſicæ accedere poteſt præceptorum, ex ea parte, qua theorica eſt: nam praxis quomodo literis tradi poſſit, ego non uideo. Magna profecto hinc Muſicę laus exoritur, φ ſpeculatione non contenta, exit in opus. Vnde non pauci fuerunt, qui eā moralitati coniunctam exiſtimauere. Opus autem quomodo tractare debebis, a magiſtro in ea re perito docēdus es: nos iam noſtræ cędemus functioni. Quanq; ne hæc quidem, quod ingenue fatemur, tanta ſunt integritate, quanta fide & diligentia a nobis diſcuſſa. Quis enim tam oculatus fœniſeca, qui non relinquat ſicilienti locum? In communi autem id potiſſimum dicendum, ut ad ęqualitatem menſuræ tanq; ad ſcopum Muſicus intendat. In modulando, ſuauitatem magis ſpectet, q; articulorum celeritatem. Prodeſt tamen, tyronem ſtatim ab initio digitos perpetuo curſu agiles reddere, quo in poſterum tactus illi ſit uiuacior. Non enim (quod a plęriſq; creditum eſt) Muſica uiribus eget, ſed aptatis longa exercitatione articulis. Celeritati autem nimiæ facile mederi queas, frenos paululum contrahendo: tarditati contra ac moleſtæ moræ uix quaq;. Inde enim fit, ut lan-

 gueſcat

gueſcat harmonia,ac iacere uideatur,tanquam emortua:qum nulla motus uehemen tia erigitur in pedes,nulla agitatione uoluitur in inceſſu,nec ulla feſtinatione fer tur in curſum:Et quod Muſicæ tribuitur, ut affectus moueat,neſcio, an præſtare poſſit harmonia undique iacens,omnique prorſus uiuacitate deſtituta. Mediocritas autem qum in omni negocio plurimum habeat momenti, tum maxime in Muſica. Teſtem huius rei non grauabor citare Homerum Iliados N.

πάντων μὲν κόρος ἐστὶ καὶ ὕπνου καὶ φιλότητος
μολπῆς τε γλυκερῆς καὶ ἀμύμονος ὀρχηθμοῖο.


Cunctarum ſaties rerum eſt,ſomni, Veneriſque,
Blandi dein cantus, choreæ modus atque decentis.


Flaccus proinde in eadem eſt ſententia,qum inquit: & citharœdus
Ridetur, chorda qui ſemper oberrat eadem.


Sit igitur Muſicus cum quadam maieſtate grauis,neque nimia uelocitate rapiatur in præceps:ſciatque,ſenſibus humanis adhiberi harmoniam,quæ quanto integrior eſt, tanto facilius conciliat gratiam,utpote,quæ ametur iudicio. Nemo enim diligit,quod non percipit. Quod ideo dixerim,quia inuenias nonnullos, qui dedignantur modulari id quod in procliui eſt, ſed omnes modulos ſecant in atomos. Illud quidem non eſt ſuauem melodiam edere,ſed omnem plane rationem harmonicam corrumpere. Sic faciunt omnes,qui a Pauli Hofhaymer feſtiuitate ſummaque blandicie,Camœnæ(ut eſt in prouerbio) δὶς διὰ πασῶν abſunt. Vi-

dere

dere enim iam eſt quoſdam Muſicos amuſos, qui ſibi plus ęquo placent: & dum Paulum noſtrum, ob ingenij eorum tarditatem conſectari nequeant, ut ſapere alijs uideantur, harmoniam omnium elegantiſſimam, cum authore ſuo inſectentur. Quod & Homero accidiſſe refertur, omnis Muſicæ fonti atq; parēti, de quo ſic Naſo: Et ſua riſerunt tempora Mœoniden. Nos, ut ſuperius diffuſe diximus, primas non trademus cuiq; carmini in Organo pulſandi, niſi illud fuerit Pauli, aut certe ad eius modulandi rationem proximo accedens: ſcioq; bonos omnes noſtræ huic ſententiæ ſubſcripturos. Alios non moror: quandoquidem, Nunq; (ut ait Seneca) tam bene actum eſt cum rebus humanis, ut quæ ſunt optima, placerent plurimis. A. Nihil (ut puto) deſyderari poteri adt Inſtrumentalem Muſicā polyphonam pertinens, quod non rotundo (ut aiunt) ore diſſerueris. Nūc monophonorum Organorum concentum oro nobis exhibeas, niſi id tibi fuerit moleſtum. In numerato ē̄m eſt, in illis reperire harmonię rationem, unde multo leuaberis labore. S. Intelligo quid uelis: neq; id admodum incognitū eſt uulgo, quot cicutis compacta ſit Fiſtula, quaue modorum uarietate exuberet. Nihil igitur afferre uidemur, ſi tantum ea quę paſſim omnium ore uulgata ſunt, memoriæ mandaremus: clariora enim illa ſunt, q̄ poſſint cuiuſq; ſcriptis eluceſcere. A. Id tantum abs te iam tandem efflagito, ut tres fiſtulas per diapente inter ſe, ut ſuperius dicebas, differētes, Guidonis ſyſtemati conferas. S. Facile id quidē, ſi modo & gratum fuerit. A. Gratum profecto, ac ſupra q̄ dici poteſt frugiferum.


Baſſus
Tenor.
Diſcant.





OTTOMARI LVSCINII ARGENTINI de concentus Polyphoni ratione, Commentarius Primus.

DE VNIVERSA SYSTEMATIS RATIONE. CAP. I.

SYSTEMA Græcum uerbum eſt, nos poſſumus Complexionẽ dicere, quo Plutarchus in libro de Muſica uſus, uidetur multorum ſonorum ſeſe conſequentiũ ſpacium ſignificare, & quaſi harmoniarum limitem atq; pomerium: unde nos potiſſimum auſpicari æquum eſt, qui Muſicam a contemplatione euocamus in opus. Eſt enim prioris loci (ni fallor) lati illius ſymphoniarũ campi quæq; monſtrare diuerticula, crebras pręter ſolitum excurſiones, & alia, quæ iam plurimis Muſicorum exemplis clarius ſunt, ꝗ alicuius ſcriptis celebrata. Nec debet iſta expatiandi libertas (ut fit) effręnis euagandi licentia appellari: qum uideamus a Pythagora nõ minus recte pręceptum eſſe, λεωφόρου μὴ βαδίζειν, ꝗ ἐκτὸς λεωφόρου μὴ βαδίζειν. Quandoquidem quæq; partium ſuos habet aſſertores. Inuenias qui Guidonis Aretini ſalubri ſane inuento plus nimio inhęrent: quod Muſicus ille inſignis, prout ſua tempora ferebant, diligentiſſime explicauit. Id inſcribitur Scala Muſicę, ſpacium decem lineis, ac totidem linearum interuallis emenſum. Semitonia illic dumtaxat

trifariam tonis inſeruit. Primum ſic conſtituit, ut quaſi coronidem adderet primo modo diateſſaron, qui in grauibus orditur, claui Γ. Secundū, quod ſequens diateſſaron expleret, cuius initium eſt C. Ac tertium deinceps perfectionem adiunxit eius diateſſaron, quod in F, oritur: quo loco quoniā etiam tono opus erat, propter inceptum in G diateſſaron, uoluit illic toni ſimul atq; ſemitonij eſſe receptaculum: huius indicem fecit b rotundum, illius h tetragonon, obſeruato pari calculo in cuiuſq; diapaſon. Quæ quidem ratio obtineret, ſi nobis ſimplici tantū, ac unica uoce perpetuo utendum foret: quamuis ne id quidem ſatis cōmode fieri poteſt, ut undiq; intra Guidonis anguſtias poſſit cantus huiuſcemodi contineri: quod in promptu eſſet mihi non paucis demonſtrare exemplis. Oro autem te, quiſquis es, qui carminibus hanc legem præſcribis, ne extra Guidonis ſepta pedem proferas. Num Reſponſorium (ut uocant) Chriſti uirgo dilectiſſima, eo ꝙ ſecundi ſit toni, in D finiri queat: quod nemo certe, niſi demens, aut Muſicæ ignarus, negauerit. Illic igitur incipiēte cantu, et per hypodiateſſaron in A promouente, unicus gradus eſt, quem ſcanſim inde in B concingas: quo loco ſi fa dixeris, uideberis iam plane iura tua uiolaſſe, eo ꝙ Guidonis pomeria tranſilieris, qui ibi mi ſolum dici præcepit, alijs uocibus omnino pręcluſa uia. Sin eo loci modulatus fueris mi, ut ille urgere uidetur, iam naturæ quodammodo limites prætergrediere, quæ multo eſt ꝙ̃ ulla poſſit ars eſſe potentior. Quis enim tā uecors, ut non intelligat, primum tonum, aut ſecundum in D expirantes, gemino quodam

dam fa gaudere in b: quando illis unicus deeſt gradus, quo minus in e ferantur, ubi alioqui fa illis eſt peculiare. Deniq; nulla eſt in hoc controuerſia, quod non in ſublimi cantus parte id nequeat accidere, facientibus fidem mille, & eo amplius exemplis. Sed ais, In parte grauiſona carminis nimium licenter in B fa dicimus. At ego uelim, me doceas, cur diuerſis in locis idem fieri non liceat, in quibus nequaq; diſpar ratio inuenitur, quę aliter moneat hic, aut alibi faciendum. Diapaſon proinde modus eſt perfectæ ſymphoniæ, qui mirum quàm diſcors redderetur, ſi per ſaltum ex uno termino in alium traijceres, & in uno, puta b, fa, & altero, uidelicet B, mi diceres. Sed non eſt, cur in re notiſſima uerba perdamus: de compoſito cantu loquamur, qui ex multiplicibus uocibus ſibi cōſonantibus conflatur. In tali iam plane conſtat, neceſſario plura requiri ſemitonia, quàm Guido tonis accedere permiſertt. Primo, quia in tam diſpari uocum cœtu, modorumq; permiſtione, creber eſt modus diapente, in quo ſi contra fa, mi dixeris, diſſonam nimirum harmoniam feceris. experimento eſt pugnantia illa inter b fa, & e mi, f fa, & B mi. Sileo perpetuum diſſidium, quod reperias in b fa, & B mi, diapaſon imperfecto. Deinde urget quodāmodo neceſſitas, ut ſingulis tonis ſingula adiūgamus ſemitonia, ſi rite uolumus perficere clauſulas. Sic enim uocamus nō inepto uocabulo, poſt longū motū, carminis alicuius quietem, & quaſi optatas ſedes: quo pacto uox inferior pergit in extremā deſcendendo, uox ſuperior aſcendēdo, ubi notula penultima ſemper diſtabit ſemitonio ab extrema, niſi illa uox fuerit mi: tunc

enim inter ultimam & proximam mediabit tonus. Quod etiamnum in ſimplici cantu fieri aſtruit Franchinus Gaforus, Muſicorũ ſuę ętatis facile princeps. Nã is inquit. Si cantionem uulgatam, Salue regina, per la ſol la re modulari inſtituas, ſol ipſum a la diſtabit ſemitonio, etiamſi tu ibi ſol dixeris, ut in diatonico genere Guidonis omnino locus aperiatur chromatico, id quod ſemitonijs gaudet impenſius. Ex quo facile liquet, ſi ex c in d fieri clauſula debeat, in c omnino deſyderari ſemitonium. Huius rei fidem quiſquis forte nobis credere grauetur, ab ijs oro exigat, qui rem Muſicam agunt Inſtrumentis: tum enim (ut puto) facile ſenſu percipiet, quod nos uix ulla oratione hic perſpicuum reddere poſſemus. Proinde (quod naturali quodam harmoniæ impulſu accidere arbitror) omnis cantus aſcenſus, ad ſemitonia uſurpanda, eſt propenſior: nimirum ob lenitatem, cui aſcenſus omnis cognatus eſt. Quem enim motum tribues rei leuiculę, niſi raptum in ſublime? Contra, omne carmen deſcendens, ad uſurpandos tonos uidetur propenſius, nõ tam ulla magis, q̃ grauitatis ratione. Verbi gratia, ſcanſim de a in c progrediendo, plærunq; commodius in b mi dixeris, non ſic, ſi e regione ex c in a deſcendas: rectius enim tunc uſurpabis fa. Vnde nunc in confeſſo eſt, multorum authorum exemplo, ne ullum quidem tonum in uniuerſo eſſe ſyſtemate, cui non poſſit aliquod ſemitonium accedere. Neq; eſt quod dicant mihi, qui id negocij leuiter admodum ante nos attigerunt, Poteſt quidem uſu uenire, ut in e, & conſimilibus locis fa canatur, ſed per Muſicam fictam. Quod oro portentuu

tentum illud eſt? aut quali prȩſtigio confictum? Quaſi uero ceu ſophiſtarum chimera nominari queat, ſenſu perpendi non queat. Cæterum, ut uidere uideor, ſemitonia illa, quæ prȩter Guidonis conſilium in ſyſtema noſtrum irrepſere, non ſunt adeo incognita, ut nuſq̃ eſſe perhibeantur: neq; ita ſunt ocioſa, ut illorũ officio nos facile deſtitui patiamur. Quod ut doceremus, ex multis unum dumtaxat exemplum protulimus, quo breuitati ſtuderemus: ſexcenta id genus prolaturi, ſi unum non mouerit pertinacem. Interim nobis ſatisfactum arbitrati, ꝙ Muſicam rem eſſe certam oſtendimus, non fallax cõmentum, aut inani ab aliquo ſtudio confictam.

DE NOTVLARVM GENERIBVS, atq; figuris. CAP. II.

ORIGO figurarum, quibus notulæ compoſiti cantus hodie depinguntur, ut ego deprehendere poſſum, hinc deriuatur. Omĩs olim Muſicæ ratio, duplici temporis numero continebatur, longo, atq; breui. Longus, figura quadrata deſignabatur, quæ in corporibus quieti magis eſt accommodata, atq; rebus loco conſiſtentibus. Breuis autem, propter motus celeritatem, ſphȩricæ figuræ propius accedebat, quæ corporibus conuenit maxime mobilibus. Vnde & Poetæ, quos rite Muſicos omnium uetuſtiſſimos appellaueris, hanc etiamdum obſeruant numerorum rationem. Huius rei


teſtem

teſtem, ſi uidebitur, Vergilium citauero: Numeros enim, inquit ille, memini, ſi uerba tenerem. Cæterum cantores ſeſe in hijs anguſtijs conſiſtere, parum liberale rati, numeros illos multifariam protenderunt. Et breuem quidem cõtra uetuſtatis morem, tanq̃ in partes breuiores ſecandam, quarum reſpectu ipſa cenſeri longa poſſet, quadrata figura deſignarunt. Rurſus illam in duas notulas partiti ſunt, quas ſemibreues uocant, figura ſphęræ quaſi compreſſæ, aut ut quidam ſentiũt, rhombi. Semibreuem diuidunt in duas Minimas, quibus præter ſemibreuis figuram linea recta accedit, uertici affixa, uel pedi notulę. Minima priſcis erat indiuiſa: quod & nomen ipſum præ ſe ferre uidetur. Diuiditur tamen illa a recentioribus, in partes ęquales, quarum figura ſolo colore dinoſcitur, quo prorſus uidentur diffuſę. Nonnulli coloris loco illis incuruant lineas a capite, ut appareant aduncæ. Secantur autem & hæ quaſi in atomos parium particularum, eſtq̃ figura illis notulæ omnino ſuffuſæ colore, cum adunca inſuper linea. Hæc uia quodammodo a noſtris reperta eſt, in extremas partes diſtribuendi temporis: neq̃ cunctaremur aſſeuerare, illis ſpeciebus notularum poſſe omnem abſolui harmoniam, niſi longior mora quandoq̃ notulis in uniſono accideret: quam ſimilibus formis toties repetitis, non ſine faſtidio depingeremus. Vnde factum arbitror, ut breuem notulam Muſici in geminas breues extenderint, nomen illi inditum eſt Longæ, figuram habet breuis notulæ, ſed duplicatæ latitudinis, aut a lęua parte affixæ ad caput, pedeſue lineæ. Longa dehinc protendi in notulam

duarum

duarum longarũ cœpta. Maximam hanc uocant, ultra quam progredi nephas uiſum. Depingitur autem figura breuis notulæ, latitudinis duplicatæ, cum annexa ſiniſtrorſum linea. Quæ omnia quo facilius deprehendi poſſint, iam notularũ genera, qua figura, quoue cenſeantur nomine, palam reddere conabimur.

Maxima. Longa. Breuis. Semibreuis. Minima.



Semiminima. Fuſelis. Semifuſelis.

DE PAVSIS. CAP. III.

PAuſa dicitur uocis intermiſſio, a Græco uerbo παύομαι deducto uocabulo: ſignificat illud ab, incępto deſiſtere, ſiue quietem captare: quæ res ꝙ ſit pro tempore frugifera in cantu, nemo ibit inficias, cui cognita quandoq; fuerit uocis humanæ fragilitas. Id enim potiſſimũ pręſtat cantui permixtum ſilentium, ut ſeſe robur uocis alioqui iugi nixu interi-

turum,recolligat. Nam iuxta Naſonis ſententiam:

Quod caret alterna requie,durabile non eſt,
Hæc reparat uires,feſſaq; membra leuat.

Deniq; cantor tacitus, aliorum interea ſuauiſſima concinnitate animum ſibi demulcens, perinde atq; Homericus ille Apollo, de quo ſic legitur, ὁ δὲ φρένα τέρπετ ἀκούων, armatus dehinc poſt emenſa ſilentij ſpacia,ſumma oblectatione erumpit in uocem: adeo, ut canendi labor illi non modo non moleſtus, uerum etiam ſupra q̃ dici poteſt,iucundus uideatur. Proinde neſcio q̃ gratam uarietatem ſecum afferat illa canendi, ſilendiq; uiciſſitudo, qua uel id demum diſcitur, quid numeris ad uniuerſum concentum uoces adijciant ſingulæ. Obmuteſcens enim uox,& quaſi intermortua, rurſus quid ſuæ poſſint uires, oſtendit, qum reuiuiſcit. Pauſarũ prorſus eadem eſt ratio, quæ & notularum, id eſt, tanta mora ſilendum eſt in pauſa,quanta ad eam notulam explicandam,quæ illi pauſæ confinis eſt,morula requiritur. Breuis pauſa ſignatur per tranſuerſum deducta linea,quæ intercluſum duabus lineis interuallum omnino occupat. Semibreuis ab acumine lineæ deſcendit in medium interuallum. Minima ab imo conſurgit: cuius partes ſi quando ſignantur,aduncæ ſunt:ut clarius hic coram intueberis.

Breuis. Semibreuis. Minima. Pars Minimæ.




DE PLVRIVM NOTVLARVM COMPAGINE, ſeu, ut uocant, Ligatura. CAP. IIII.

COeunt plęrunq; notulæ in unam cõpaginem, non ſine euidenti utilitate breuiſſimi contextus, qui alioqui pluribus ſcribendus erat figuris: nimirum Pythagoræ inſtituto, qui rerum integritatem atq; conſtantiam, ait eſſe in ſolidis corporibus, confuſionem atq; facilem interitum in diuiſis. Itaq; quoad potuit, diuiſa in unum coegit. Quod eadem ratione uidere licet in notulis diuerſi generis, in unam figuram coaptandis eueniſſe. Cęterum, ſunt qui id non minori decore figurarum, ꝙ aliqua utilitate factum arbitrentur, ut plures notulæ ſibi per quandã ſyntaxim cohęreſcerent, quæ turpi diſſidio ſeiunctæ, niſi coaleſcerẽt, uideri poſſent diſperſæ. Sed iam aggrediamur explicare compaginũ formulas, ſimulq; quid quæq; poſſit earum particula diffiniamus. Omnis ergo pars compaginis, aut quadratæ eſt figuræ, aut obliquæ. Linearum deinde hæc eſt natura, ut a dextris notulæ aſcendens, ſemibreuem reddat: deſcendens uero, breuem. Et quidem omnis compago, cuius prima notula dextrorſum habet aſcendentem lineam, iam plane intelligitur primam habere ſemibreuem, illam uidelicet notulam, cui ſuperne incumbit linea. Nam etiam ſi ſolam locares, ſemibreuis diceretur. Verũ quoniam in multarum breuiũ contextu oporteret omnes notulas primam ſequentes tantiſper uolui contra nume-

rorum integritatem, dum ſemibreuis illa aliam ſortiretur ſemibreuem, quæ imparilitatem eius expleret, factum iam eſt, ut ſecunda notula ęque ſemibreuis ſit, & a tertia omnis compaginum ratio iure dependeat, quam (ne multis te morer) hac breuiſſima uia aſſequeris. Quadrata corpora, qum, ut ſuperius oſtendimus, ſint ad quietem multo maximum adcommodata, ſolas in compagine quadratas notulas licebit extenſas in tempore deprehendere: & tunc potiſſimum, quando in decliui propendent. Nam ſicut quod in ſublime arrigitur, leuitatē protendit: ita quicquid uergit in profundum, profecto molem corporis, & geminam quandam grauitatem habere conuincitur: Grauitati autem cuilibet eſt coniuncta tarditas, & mora, quietis appetens: unde accidit, ꝙ omnis quadrata deſcendens, in longam extenditur, maxime ſi fuerit extrema compaginis. Idem iudicium eſt de prima deſcendente: quæ ratio obtinet in quadratis ſimul, & obliquis: non diſſimili cauſa a natura traducta, quę motum indidit animantibus principio pigrum, propter inſolitam laboris ſuſceptionem, medio feruentiorem, & fine aliquanto remiſſum: nimirum ob laſſitudinem, quæ naturaliter omnem motionem conſequitur. Liquet ergo, primæ notulæ compaginis, & ultimæ deſcendentibus, potiſſimum cōuenire tarditatem. Et ne quem hæ quęſtiones a natura repetitæ, diutius in ambiguo ſuſpēſum detineant, iā accingamur omnia, quę diximus clariſſimis docere exemplis: fiatq; id per figurarū primas literas, quo prolixitas euitetur, ut per l longa deſignetur, per b breuis: nam de ſemibreuibus prius diximus.


Non



1 2 3 4 5 6 7 8

Non grauabimur hæc exempla acriori indagine diſcutere, quamuis omnia ſuperius ſint expreſſa. nullum enim laborem fugimus, propter eos, qui huius rei rudes ſunt, ſi illis contingat, me docente euadere doctiores. In primo exemplo ambæ notulæ ſunt longæ: quia deſcendunt pariter, & ſunt quadratæ: quod ſemper ueriſſimũ intelligas de prima & ultima. In ſecundo, prior eſt longa: quia deſcendit non altera: quia quod de deſcendentibus dicitur, in obliquis figuris tantum ueritatem obtinet in prima notula. In tertio exemplo prima eſt longa, ex ſuperiore ratione, quia prima eſt, & deſcendit. Sequentes ſunt breues, quia obliquæ, ideo non poſſunt extendi alibi, quam in principio. In quarto exemplo prima & ultima ſunt longæ, ex ratione primi exempli, quia deſcendunt, & ſunt quadratę: media autem eſt breuis, quandoquidem neq; prima eſt, neq; ultima, & ut dici ſolet, οὔτε γῆς, οὔτε οὐρανοῦ ἅπτεται. Eam ſi mille comitarentur, omnes eſſent breues, præter ultimam, quæ extenderetur in longam, ſi modo deſcenderet. Quinti exempli prima eſt longa, quia deſcendit: non ſic ſecunda, quia neq; initium eſt, neq; finis. Non proinde tertia: quia neutiq; deſcendit. In ſexto exemplo ſola ultima longa eſt, quia deſcendit. In ſeptimo exemplo & octauo nulla eſt longa: eo quod in illis nec prima deſcendat, neq; ultima; niſi forte obliqua fuerit extrema, unde

nec quicq̃ extendi poteſt in longã. Fateor hoc loco, nos nimium prodigos fuiſſe uerborum, qui idem iam plus decies diximus. Sed non pudebit nos prolixę orationis, dummodo futura ſit utilis. Plures autem ſuperſunt compagines, quarum ratio facilime ex illis, quæ iam toties repetiuimus, colligi poterit, ut ex prædictis harum ualores facile perdiſcas.



DE SIGNIS AB INITIO CARMINVM deſcriptis. CAP. V.


POſt Claues ante Cantilenarũ exordia lineis affixas, ꝓxima ſunt, quæ carmen præcedunt ſigna quædam, habitudinem cantilenæ huiuſmodi indicantia. Colligitur autẽ illa ex duobus numeris, quibus

quibus cantus ipſe potiſſimum gaudet, ternario uidelicet, atq; binario. Et quidē Ternariū conſtat ex ueteri Pythagoræ ſententia, omnium eſſe perfectiſſimum, unde & ab Ariſtotele numerus diuinus dicitur. Platoni item, quod aiunt, Philoloſophorum deo, contigit numerus annorum uitæ abſolutiſſimus, nempe, 81, qui numerus prouenit ex nouenario in ſe multiplicato: nouenarius autem ex tribus conſtat ternarijs: quæ res Platoni apud multos peperit diuinitatis opinionem. At binarius numerus, eo ꝙ Ternario unitate eſt minor, imperfectus dicitur. Vocamus etiā ea perfecta, quæ ſunt maxime integra, quæq; uix unq; in partes ſecari poſſunt. Quod genus eſt omnis numerus impar: nam is naturę diuinę propius accedit, quam cōſtat eſſe ſimpliciſſimam. Alludit huc illud Vergilianum, Numero Deus impare gaudet. Quo contra diuiſio illa, quæ fit in numeris paribus, ad corruptionem pertinet, quam imperfectionis euidentiſſimum experimur eſſe indicium. Videmus autem trifariam Carminibus præponi ſigna. Primo figuras arithmeticas: e quibus 3 perfectionem ſignificat grandiuſcularum notarum, puta Maximarum, & Longarum, quibus modum tradunt contineri. Eſt autem Perfectio modi, comprehenſio trium Longarum in Maxima, & totidem Breuium in Longa. At figura 2 imperfectionem ſignificat modi: quæ tum fit, quando Maxima duas Longas, & illa geminas Breues continet. Digredior ad ſecundum ſignum, quod orbe quodam fit, ſiue circulo: qui ſi plenus fuerit, & integer, perfectionem indicat temporis: quæ tunc fit, quando breuis notula (hæc


enim

enim ſola ſubijcitur tempori) tres complectitur ſemibreues. Quod ſi orbis ille neutiq; fuerit integer, ſed hemicyclus apparuerit a carminis initio, Imperfectio tunc palam redditur temporis. Accidit aūt illa, quando breuis notula duas ſemibreues comprehendit. Tertium deinde ſignum puncto fit, re nimirum (ut mathematici teſtātur) indiuiſibili: unde ſemibreuis reſultat, ex notulis ſcilicet minimis. Atq; punctus ille ſi in mediū orbis, aut hemicycli inijcitur, Prolationem deſignat maiorem: quæ tum accidit, quando ſemibreuis notula tres continet minimas. Verū quo hæc magis fiant perſpicua, formulas, de quibus diximus, iam oculis ſubijciamus.

Modus perfectus. Modus imperfectus.



Tempus perfectū. Tēpus imꝑfectū. Prolatio maior. Prolatio minor.




Cęterum ea, quę de Signis diximus, ſic accipienda ſunt, ſi non componantur. Nam ſi arithmeticus numerus orbi additur, Orbis modi index eſt, & Numerus Temporis.

O3.	O2.	C3.
Signũ modi perfecti & temporis.	Signũ modi perfecti & tẽporis imperfecti.	Signũ imperfecti modi temporis perfecti.
C2	⊙	Ͼ
Signum imperfecti modi & temporis.	Signũ prolationis maioris, temporis perfecti.	Signũ ꝓlationis maioris, tp̄is imperfecti.

⌽ Signum diminutionis, id eſt, celerioris motus & temporis.

₵ Signũ diminutionis temporis imꝑfecti.

Eſt, quando ex Pauſarum deſcriptione licebit perfectionem cuiuſq; notulę, aut imperfectionem deprehendere.



Pauſę modi perfecti indicium. Pauſæ tẽpus perfectum demonſtrantia. Pauſæ prolationem maiorem indicantia.


DE PVNCTIS. CAP. VI.

LOcus monet, ut de Punctis obiter aliquid dicamus. Eſt autem Punctus id quod Gręci πέρατα uocant, hoc eſt, extremum illud in quod omnis figura reſoluitur, συνεχείας, id eſt, continui minima particula: ſicut eſt unitas numeri. Significat autem Punctus notulæ lateri adiectus, illud momentum, quod ei deeſt, quo minus ſit perfecta. Vnde Maximæ adſcriptū punctum, deſignat ipſius notulæ perfectionem: ſine enim puncto duas contineret longas: ſed puncto adhibito, ternarij minima portio notulæ accedit, quæ in numeris dicitur μονάς, id eſt unitas: atq; id demū agit punctus, ut Maxima tres cōtineat Longas. Non diſſimili ratione punctus longam perficit, indicatq; eam plane tres breues continere. Item punctus breuis notulæ adhærens lateri, trium ſemibreuium, Semibreuis trium minimarum, & Minimæ trium (ut uocant) ſemiminimarum eſt indicium. Itaq;, ut apertius dicam, Omne punctum partem unicam ſignificat eius notulæ cui adhęret: partem dico, in quam proximo reſoluitur. Conſtat enim, Maximas primo ſecari in Longas, illas in breues, has in ſemibreues, & ſic deinceps. Videtur autem mihi, non abſurde, punctis rerum ſumma ſignificari, atq; perfectio. Quod ſi quis diligentius penſitare uolet, illud Horatianum forte accommodabit noſtro propoſito:

Omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci.

Vidimus

Vidimus in hoc genere plęrunqꝫ impenſe ludere preſtantiſſimos harmonicę compoſitionis magiſtros,ut ſingulis notulis per uniuerſum concentum ſingula puncta adiungerent. Quod Ioſquin feliciter egit in ſuo LHomen arme, in quo poſt primum punctum,canon ille, & ſic de ſingulis omnibus notulis ſua puncta impertit.Et Henricus Iſaac in ſuo officio,Argentum & aurum, omnibus notularum ſpeciebus,ſimul in uno concentu,per diuerſas uoces puncta perpetuo tenore adiecit. Idem in ſuo officio de beata uirgine, notulas cantus in primo Kyrieleiſon tali diſpoſitione ꝑfecit.Et Bolfgangus Grefingerus præceptor meus, hoc ipſum in ſuo,In patientia, egit per notulas contratenoris. Licebit proinde omnia quæ diximus ex ſequentibus formulis,ſine ullo negocio perdiſcere. Sed ecce horum exempla.



1 2

De

¶ DE PASSIONIBVS, SIVE IIS QVAE ACCIdunt Notulis, & primo de Augmento earũ.

CAP. VII.

NOtularum πάθες, id eſt, paſſiones, ſiue accidentia ſunt duo. Aut enim excreſcunt notulæ, aut deficiunt. Et quidem augmenta accipiunt notulæ per alterationem: quæ fit, qum plures notulæ inter ſe proximo maiores poſitæ, ternariũ non complent: tunc em̃ una ex illis extenditur in duas ſui generis: ne concentus ſua integritate deſtituatur, et ut undiq; ſuis conſtet numeris harmonia. Fit autem in ternario, id eſt, perfectione dumtaxat: unde in prolatione maiori, qum plures minimæ inter duas ſe maiores, id eſt, ſemibreues locantur, una poteſt per alterationem excreſcere, ita, ut duas minimas ualeat. Idem accidit ſemibreuibus in tempore perfecto, quando inter duas breues continentur: fieri enim poteſt, ut earum una in geminas extendatur. Pari ratione id uſu uenit in modo perfecto. Breues enim inter longas comprehenſæ, huiuſmodi ſunt paſſioni expoſitę, ut una ex hijs poſſit alterationi patere. Verum enimuero, qua uia id fiat, quod diximus, breuiter aperiamus. Sicubi in tempore perfecto duæ ſemibreues inter duas breues ſtatuuntur, & ambæ a ſemibreuibus huiuſmodi diſcretę ſunt, ſecunda ſemibreuis alteratur, id eſt, in duas extenditur: ne male cohęreat incompletus numerus. Quo pacto enim duæ ſemibreues perfectum tempus abſoluerent, niſi una earũ in duas excreſce-

excreſceret? Haud diſſimili modo, ſi quando tres ſemibreues intra duas breues ſepiuntur, & prima ſemibreuis primam breuem ingreditur, altera autem breuis ad ſequentia reſpicit, tertia ſemibreuis in huiuſcemodi cõtextu per alterationem in duas protenditur. Deniq; ne diutius hic conſiſtamus, ubicunq; poſt exactam temporum diſtinctionem (quæ quibuſdam tenuiſſimis uirgulis ad caput extremæ notulæ temporis fieri debet, non punctis (ut quidam arbitrantur) duæ ſemibreues ſuperſunt, ultima earum neceſſario una exuberat. Et quod hic de ſemibreuibus diximus, locum habet in minimis, & breuibus, quando earum plures in maiori prolatione, uel modo perfecto, notulis ſe proximo maioribus apparent circumſeptæ.

DE NOTVLARVM DEFECTV.


CAP. VIII.

ACcidit preterea Notulis defectus: et hic bifariam perpendi ſolet, aut ex adiecto, aut e colore. Ex adiecto penuriam ſentiunt notulæ, quando in perfectione, id eſt, ternario numero notula e tribus conflata unitatibus, propter unitatem præcedentem, aut ſequentem, tertiam perdit partem: fitq; illud non tam notulis, q̃ pauſis, aut punctis, urgente plerunq; neceſſitate compoſitionis. Qui enim alioqui perfecti temporis notulis liceret extra uniſonum proſilire, ſi ſingulæ breues trinam dimenſionem in huiuſcemodi tempore dumtaxat admitterent? Quod & in aliijs perfe-

ctionibus, modi uidelicet, & prolationis, pari modo euenit, ut cogeretur notula perfecta intra uniſoni anguſtias conſiſtere, ſi nequiret ob traiectum alio faciendum, unam notulam abijcere, quam mox completus motus habunde compenſaret. Suadet proinde utilitas reſpirandi, aut forte compoſitionis, ut pauſæ perfectis notulis adiectæ, illarum moram tali intermiſſione temperent. Cęterũ quando id fiat, non eſt in noſtro arbitrio, legibus præſcribere. Magiſtris enim compoſitionis harmonicæ phas eſt pro nutu ſuo perfectas notulas ijs quibus oſtendimus uijs, integras, uel mancas ponere, dummodo diligenter (ut fit) prætenuibus uirgulis tempora circa notularum uerticem diſtinguant. De colore iam demum diſſeramus, qui & ipſe tertiam partem perfectis notis adimit: idcirco in notulis coloratis, quas definimus eſſe illas, quæ ſe totas colore proluunt nigro, aptum eſt imperfectionis, aut eclypſis, id eſt, defectus indicium: nimirum a potioribus ſyderibus tracta ſimilitudine, quæ eclypſi traduntur affici tum demum, quando candore ſuo deſtituta, nigrore per totum corpus ſuffundũtur. Sunt autem, qui in ſola perfectione colori locum faciant: unde & indicium quaſi latens perfectionis quandoq; ſuſpicantur colorem exiſtere. Plane igitur conſtat, omnẽ notulam, quæ eo loci, ubi conſiſtit, perfectionis eſt capax, binario numero commenſurari, poſteaq; colore fuerit plene reſperſa: ita uidelicet, ut in perfectione modi colorata maxima, duas longas contineat: longa atro perfuſa, duas breues: breuis, duas ſemibreues in tempore perfecto: & ſemibreuis atra in prolatione

maiori, duas minimas. Id etiam admonuiſſe uelim, ꝙ ob notularum cognatio-nem, quæ ad idem tempus pertinent, non modo illę colorem admittunt, quæ illic perfectionis ſunt capaces, ſed & eodem cōtextu ſibi mutuo cohęrentes; utpu-ta in perfecto tempore, ſemibreues, quæ breues atras ingrediuntur, quod etiam in aliis perfectionibus eadem lege fieri cognoſces. Sed quandoquidem in ſer-monem de colore incidimus earum notularum, quæ hoc typo imperficiuntur, haud ab re fuerit, obiter nunc eum colorem commemorari, qui notulis acci-dit imperfectis. Video autem ferme a Muſicis id obſeruari, ut ſicut in perfectio-ne per colorem tertia tollitur, ita in imperfectione, non niſi quartam portionem eius quæ tincta eſt, auferri: hac ut coniectari poſſum ratione. Quoniam in tem-pore perfecto breuis notula ex duabus conflatur ſemibreuibus, quarum ſi unā color perinde ac in perfectione abiiceret, non uideo, quomodo color huiuſcemo di a dupla proportione differret, in qua numerus maior minorem ęque duabus paribus particulis continet, ut infra dicemus. Candida enim notula, ad colore tinctam collata, proprie duplata exiſteret coloratę. Atqui dummodo opportu-nitatem ſpectes, breuius deſcribendarum notularū, color nobis id agendi in im-perfectione paratiſſimam anſam ſubminiſtrat. Tres nanqꝫ minimas, ſi in eodem loco conſcribere uoles, facies id ꝙ breuiſſime breui notula, prorſus nigrore tin-cta; quæ qum in quatuor minimas ex ęquo reſoluatur, colore quartā detrahen-te, quid ſupererit, niſi tres minimæ? Idem propemodū fiet de tribus (ut uocant) ſemi-

ſemiminimis, quas non minus commode ſemibreui atra depinxeris. Pari ratione uteris in reliquis, obſeruato tamen omnino eo, quod pauloante diximus, de cognatione notularum, ad idem tempus pertinentium. Omnia autem quę diſſeruimus, hic, ſi lubet, coram intuearis licebit.



DE HIS, QVAE POTISSIMVM AD PRAXIM conducere uidentur. CAP. IX.

QVæ hactenus pro uirili noſtra digeſſimus, Muſicæ ſtudioſis, ut ſperamus, profutura, uideri poſſunt ex aliqua parte coniuncta eſſe theoricæ: monet igitur locus, uti ea literis mandemus, quæ ad praxim maxime ſunt accommodata, quod genus eſt menſuræ ratio, & pluri fariam compoſiti carminis in legitimos numeros reductio Admonendus igitur mihi inprimis eſt huic negocio deſtinatus, ut concentus compoſiti

poſiti aliquam partem abſoluat, ne unq̃ uelit egredi menſuræ limites: hæc eſt enim, quæ commiſſuram harmoniæ præſcriptis legibus inconciſam, & minime ſecum diſſidentem continet. Hęc eſt numerorum regula, & quaſi ſcopus, ad quẽ referenda ſunt omnia. Græci hunc de quo loquimur decentem carminis motũ, ἐυρυθμίαν uocant: ut intelligas, Muſicam cognationem quandã habere cum moribus, in quibus ſi quid præter præſcriptum fiat, ęque diſſonant ſecum pariter ac diſſident omnia. Themiſtoclem aiunt, qum ab eo Simonides poeta, iniquum iudicium efflagitaret, his uerbis eluſiſſe hominis petulantiam: Necq̃ tu Simonides bonus poeta eſſes, ſi præter numerum caneres: necq̃ ego bonus princeps, ſi præter legem iudicarem. Adeo nihil eſt uſpiam, quod ultra citraq̃ numerorum præſcriptum recte geri poſſit. Amuſſis itaq̃ noſtra, quæ æquando operi muſico ſemper eſt adhibenda, Tactus eſt, quo emetimur tempora, haud aliter, q̃ horologijs ſingula horarum momenta diſcuntur. Omnis itaq̃ concentus ratio, ſtatim ex ſigno ſibi præpoſito colligenda eſt. Nam illa ſi ad ternarium, id eſt, perfectionem pertinebit temporis, propter geminam huius generis quaſi pompæ cuiuſdam tarditatem, ſemibreues ſingulas tactibus ſingulis adaptabimus. Id uero q̃ facile factu ſit, nemo cui hæc res aliquando tentata eſt, ignorauerit. Duas minimas hoc modo in Tactum redigimus: aut quatuor (ut uocant) ſeminimas. Nec uideo, quid difficultatis cantorem hac ratione poſſit offendere: quando ex ęquo Tactus quoslibet licebit in certiſſimas portiones diſtinguere.

At uero ſi per commiſtionem alicuius Minimę cum pluribus ſemibreuibus, aut ſingulis, non poterimus quemlibet tactum ſimul cum integris notulis finire, ſed notula eadem contingit, quæ unius tactus finis ſit, & alterius initium, Syncopam Muſici id genus harmoniam uocant, id eſt, conciſionem. Tum demũ mente id agemus, quod in cantu eſt prætermiſſum, ſingulas notulas, quæ contra rectum menſuræ ordinem uoluuntur, in ęquales partes ſecando: ita enim minimo negocio priorem partem fini unius tactus adaptabimus, & alteram ſequentis tactus principio. Eſt autem mos ille iam ab omnibus harmonicę cõpoſitionis magiſtris obſeruatus, ut in alicuius magni operis cõtextu, primas ſibi uendicet perfectio: uidēturq; cantiones non infeliciter a ternario tanq̃ a numero omniũ maxime diuino auſpicari: qui etiam principio haud inepte conuenit, ob affectatam quandam moram, quæ motus cuiuslibet initio a phyſicis tribuitur. Ternarium autem numerũ proxime conſequitur binarius, id eſt, temporis imperfectio, in qua paulo celerius notulę proferuntur. Vnde & tactu utimur longiore, puta qui duas ſemibreues complectitur, quo mora tactus, celeritatem notularũ temperemus. In huiuſcemodi autem tactu, octo ſemiminimæ (ut uocant) tactum perficiunt, aut quatuor minimæ, duęue ſemibreues. In commiſtionibus uero notularum id fiet, quod proxime de Syncopa diximus. Cęterum tyronem huiuſce artis, ego malim etiã in imꝑfectione ſemibreues notulas ſub integro tactu proferre; eo ꝙ facilius ſit tactũ in pauciores q̃ in plures particulas diuiſum abſoluere.

Verum

Verũ poſteaꝗ̃ frequens exercitatio artẽ canendi longo uſu firmauerit, tunc expediet aggredi cantũ imperfectũ prolixiore tactu: nam is breuibus notulis in imperfectione aptius conuenit. Sed ea, quę de imꝑfectione tẽporis, quatenus ad tactũ pertinet, diximus, ſic accipienda ſunt, ſi poſt orbem dimidiatum ſequitur numerus binarius figura arithmetica deſcriptus, aut certe uirgula tranſeat per ſemicirculũ numeri loco. Vtrũꝗ̃ eñ illud diminutionẽ uocant Imꝑfectionis, qua citus carminis ꝓgreſſus deſignatur. Proinde ſicubi ſolus hemicyclus ponitur ſine ullo numero, uirgulaue, incunctanter iam noris, in eo cantu, cui ſignũ tale pręponitur, ſemibreuẽ integrũ tactum exigere. Nec deſunt, quibus uiſum eſt, huiuſmodi carminis formulã, Prolationem minorem appellari: eo ꝙ extenſionẽ, in mora ſaltem, ſemibreuis notulę illic fieri, perſpicuũ ſit. Nam ueteres (quemadmodum conijcere licet) omnem cantũ breuibus emenſi ſunt: & ſi qua minor notula extenderetur in tactum, hoc prolationem appellarunt. Verũ quoniam minor extenſio fit in notulis, quę plus habent lõgitudinis, qum in procliui ſit, rem alioqui ꝓlixam, efficere laxiorẽ, Semibreuẽ in tactum dilatatã, prolationi minori adſcripſerunt. Minima aũt quoniã habita breuitatis ratione, maiori negocio in latum extenditur, prolationẽ maiorẽ illic eſſe definierunt, ubi minima tactũ expleret: ꝓlatione nimirũ a profero, deducto, quod aliquando ſignificat, protendo. Hæc ſunt, quę ad opus canendi cõpendio quodã proficere auguramur: breuia quidẽ illa, ſi uerba eſtimes: ſi frugẽ, denſa forte plus ęquo. Sed ad alterã partẽ inſtituti noſtri properandũ eſt.

IN COMMENTARIVM SECVNDVM OTTOMARI LVSCINII PRAEFATIO.

SVPERIORE Cōmentario,quibus modis a cantore abſoluendus ſit cantus, ex plurifarijs uocibus compoſitus, ea qua potuimus diligentia executi ſumus. Atqui plęroſqꝫ uideas,inſcitia neſcio dicam, an deſidia, necquicqꝫ audere in cantu affabre componendo: quanqꝫ alioqui ſatis ſuperqꝫ concinne carminis compoſiti numeros abſoluant. Illi primum uel in eo potiſſimum peccant,ꝙ ſibi quandoqꝫ dijudicandi carminis partes aſſumunt,artis componendi cantus prorſus expertes. Vnde non raro accidit,ut peſſima pro optimis probent. Deinde,ꝙ langueſcere ſinunt ingenium, dū quid uires illius poſſint,minime explorant:longe admodum ab illius Muſici ſententia,qui dixit, Semper ego auditor tātum? nunqꝫ ne reponam? Hac in parte a nobis (ut puto) iuuandi ſunt optimi quiqꝫ cantores, fietqꝫ id tanto facilius, quanto ad componendas cantilenas plurimum confert,pręſtantium magiſtrorū multa ceciniſſe carmina:inde enim ſtylus uires accipit,& ſolidum opus probato aliorū fiet exemplo,quod alioqui abſqꝫ rectore diffflueret. Eſt autem Compoſitio,diuerſorum ſonorum artificioſa quædam in concinnitatem deducta unio. Sicut enim literæ,fortuito in aluearium proiectæ,haud quaqꝫ uerbum, aut orationem intelligibilem conflant:Ita neqꝫ omnes ſoni,quocunqꝫ modo coeant, ſtatim ἐυ-

φωνικὴν,id eſt,iucundam,& auribus amicam harmoniam præbebunt. Primo igitur ſonos inter ſe concordes enumerabimus: deinde quibus legibus, quoue ordine in compaginem traducantur, edocebimus.

¶ DE SONIS CONCORDIBVS, SIVE CONCORdantijs. CAP. I.

SOni concordes duplici genere reperiuntur: aut enim perfecti ſunt, aut imperfecti. Perfecti ſunt, quibus conuenit cum uniſono, aut diapente. Ad uniſonum referuntur diapaſon, diſdiapaſon, & uigeſima ſecũda. Ad diapente duodecima, & undeuigeſima. Imperfecti ſoni ferme ſunt, quibus cũ ditono intercedit cognatio, ut eſt ſexta, decima, tertiadecima, ſeptimadecima, & uigeſima. Perfecti hac potiſſimum cauſa dicti ſunt, quia in illis ueluti abſolutis & ſolidis, ſedes quęritur: eo ꝙ omne carmen per longas ambages profectum, tãdem in hijs finem quęritat: ut ne interim dicam, ꝙ etiam initia ab ijſdem ſumere, auſpicatum uideri poteſt. Quo contra, Imperfecti ad motum cantionis accõmodati uidentur, & in ea ferme parte, quæ finem, ueluti perfectionem ſuam antecedit, commmode locantur.

DE DISSONANTIIS. CAP. II.


Diſſona eſt omnis compago, quæ præter eas, quas iam indicauimus harmonias inciderit: quod genus ſunt ſemitonia, aut toni, & inſuper ſonus diateſſaron, quæ pariter item cognatas habent eas, quas ex diapaſon quoquo modo reſpiciunt: ueluti in concordium grege eſt definitum. Tonis enim atq; ſemitoniis accedunt ex quadam ſimilitudine ſeptima, & nona, ac iiſdem quartadecima, & ſextadecima. Rurſus diateſſaron in familiam ſuam receptat undecimam, & decimamoctauem. Et hæc quidem ideo tractamus, ut primum quiſq; norit, quid fugiat, deinde quid obſeruet: quanq; nobis etiam tacentibus, diſſonę harmoniæ ſuo ſemet prodant indicio: adeo mire cũ natura conuenit hæc ars, de qua nobis ſermo eſt, Muſica. Itaq; ceu nauitæ prudenti ſuſpecti ſemper ſunt ſcopuli: ita attento carminum compoſitori, etiã atq; etiam fugiendæ ſunt diſſonantiæ.

QVATENVS VSVRPANDAE ſint Diſſonantiæ. CAP. III.

Recte mihi a Flacco traditum eſſe apparet id, quod & Plinio probatur, ſæpe nimiam officere diligentiam, id quod ille pari uerborum numero extulit, In uiciũ ducit culpæ fuga, ſi caret arte. Eſt enim

enim nonnihil, quod moliaris in componendis diſſonantijs, atq; id qua lege fiet, iam perſpicuū reddemus. In tonis, ſemitonijs, ac eorundē confinibus, in harmonia coniungendis, obtinet, quod uſq; adeo iam ab omni Muſicorum cohorte eſt receptum, ut nullam ferme cantilenam proferre queas, quæ diſſonantiam hanc non in aliqua ſaltem ſui parte admittat Clauſulam uocant duarum uocū in diapaſon peracto aliquo motu, certum & quaſi optatum diuerticulum: eam ſedem uox ſuperior ex proxima notula prætentat, priuſq; inferior diapaſon ipſum ingrediatur: ibi uideas licet impari cōtactu, utraſq; uoces ex ſeptima ſeſe reſpicere: atq; idem pari modo fiet, ſi in uniſonum duæ tendant uoces, tum enim tono diſtabūt utręq;, anteq; uniſonum fuerint complexæ. Verum inęqualis illa uocum mutua attrectatio, breui etiam durans momento, facile tantillo errori (ſi modo error dici debet, quem ſenſus deprehendere non poteſt) ueniā parat. Idem cenſeo audendum in minimis notulis, & ijs, quæ etiam minore mora, q; minimę proferuntur: nam in illis nulla concordię ratio haberi poteſt, neq; etiam exigitur: quando tanta celeritate uoces curſitent, ut nullum auribus iudicium relinquatur. Etſi reſpectus iugis haberi debeat, ne in ęquali aggreſſu alicuius notulę uoces aliquæ ſecū diſſideant, conſimili uidelicet appulſu, atq;, ut dicitur, in ingreſſu tactus. In uniuerſum enim ſic ſe habet lex Muſicorum, ut non niſi in ſyncopatis (ut uocant) notulis, concordantias negligere liceat. Verum exemplo (ſi lubet) rem aperiamus. Volo in uoce ſuperiore duas breues ponere, & eidē in inferiori concor-

concordantes aptare, & primo ſubit diapaſon, in quo ordior tactũ: ſuccedit inſuper ſexta, & deinceps quinta: non poſſum autem niſi interpolato greſſu a diapaſon ad ſextam uenire, quando ſeptima inferior cum ſuperiore parum conuenit. Atqui placet mihi uitare ſaltum eum, qui a diapaſon futurus ſit in tertiam proximam, uidelicet ſextam, a ſuperiore deducta ratione: uoloq́, ut uox inferior continuato gradu promoueat. Diſponenda igitur mihi ad priorem breuem ſuperioris uocis notulam, primo ſemibreuis eſt: cui ubi punctũ adiunxero, licebit mihi in proximum gradum ſupine minimam locare, atq́ tum continuato ordine geminas ſemibreues: quo contextu (ut inquam) prima ſemibreuis, cui adhæret punctum, diapaſon ſapit cum ſuperiore, at ſuccedens minima, ſeptimam. Neq́ id admodum abſurde: tum, quia notula eſt moræ breuiſculæ: tum, quia conſiſtente ſuperiori uoce hæc minima promouet, & ſic diſpar eſt utriuſq́ uocis tactus. Sed cur non cuncta ſubijcimus ſenſibus.



Exemplum primi. Exemplum ſecundi.

De per-

¶ DE PERMISSO VSV QVARTAE: ATQVE INIBI de compoſitione Faux bourdon uulgo appellata.

CAP. IIII.

DIateſſaron, ueluti præmonuimus, in diſcordium ſonorum eſt numero: quæ res omnem ſibi ad concinnitatem uiam plane pręcluſiſſe uideretur, niſi eſſet, quo abſona eius duricies leniri, aut certe prorſus tolli poſſet. Vnde in ſublimioribus tantũ uocibus locum reperit, in quibus natura quodãmodo maior eſt mobilitas: quæ qum alioqui ad temperandas diſſonantias apta ſit, in quartę aſperitate leuiganda nimirum erit accõmodatiſſima. In grauioribus enim uocibus, quas natura magis finxit fixas ac ſtabiles, & quaſi ſuperiorum uocum baſes, quando nulla ratione tolli uitium inconcinnitatis poteſt, quartam illic poni, nephas putatur. Cęterum, ſi in ſublimi quartã collocaueris, duo occurrunt remedia, quibus inæqualitatem eius temperare ualeas, nempe ſi ſubſternas immediate tertiam, aut certe quintam. Atq; prius illud remedium uideo nunc crebro in uſum trahi a recentioribus Compoſitionis magiſtris, Faux bourdon uulgo uocant illud Compoſitionis genus, rarum quidem iſthuc, ſed minime inamœnũ. Equidem longo tractu moueri, ac continuato gradu, in ardua, aut in decliue poſſunt tres uoces, inter quas ſumma diſtabit a media per quartam, & media ab inferiori per tertiam: eſtq; iam receptum, ut iucundiſſi-

n mæ

mæ harmoniarũ excurſiones hac ratione inſtruantur, in quibus etiam perbelle ingenia Muſicorũ mihi luxuriari uidentur, & ſibi etiam plus ꝙ ſatis eſt, permittere. Qua in re docenda, plus ualebunt pręſtantiſſimorum magiſtrorum exempla, ꝙ meus conatus, aut etiam eius, in quo neq; eloquium deſyderes, neq; diligentiam.

¶ DE PLVRIBVS CANTIONVM VOCIBVS.
CAP. V.

VOCES, E QVIBVS quaſi legitimis partibus conflatur cantio, plurifarię, neq; in præſcriptum numerum redactæ: nos frequentiores ſuo nomine, quo hac tempeſtate a uulgo Muſicorum appellantur, ꝓferemus. Principio Cantus eſt, ut uocant eruditiores, ſed a literis parumper alieni, Diſcantus: & is quidẽ arcem harmonię obtinet, unde plęrũq; urgente natura in ſublime magis fertur: raro in imis uiſitur, nimirum ob lenitatem quandam germanam, & quaſi cognatam gracilitati. Proximus eſt Tenor, qui medium ſibi locũ uendicat, neq; ad ardua loca capienda, neq; ad decliuia magis propenſus. Huic mox ſuccedit ſuo loco Baſſus, uox grauis, & quæ profundo harmoniæ ex uoto gaudet. Atq; hijs tribus uocibus ueteres ſolis contenti erant: ut ego arbitror, ꝙ tres ordines in repub. ſufficere exiſtimarent, qui e diuerſo hominum genere in unam & concordẽ ſententiam, atq; omnibus ſalutarem coirent: haud

haud aliter, quam ex trifarijs hijſce uocibus, ſi arte componerentur, mira perciperetur concinnitas. Cęterum, quanquam maioribus noſtris, ut dixi, tribus uocibus ſyſtematis ſpacia occupari recte uiſa ſint, utpote, ſi Cantus apicem harmoniæ corriperet, Tenor medium, & Baſſus, quem olim Contratenorem nominabant, ſedes infimas, non tamen paucitate illa explebantur, ſed ſupererant loca non pauca uocum cõcordantium capacia: unde factum, ut uox quarta, quam Altum uocant, memoratis tribus acceſſerit. Eſt enim illa quaſi media inter Cantum, & Tenorem: unde quia uoces uiriles excedit acumine, recte mihi uiſus eſt id nominis inuaſiſſe. Compertum enim iam eſt, cantũ iucundius abſolui non poſſe, niſi pueris eas partes commiſeris. Quanquam Altus plęrunque Tenori etiam uices ſuas pręripiat, ſicubi ille in faſtigio harmoniæ diutius moretur. Et hæ quidẽ uoces quatuor, ſatis, ſuperque exhilarare animum poſſent etiam uarietatis immenſę cupidũ, ni Muſicæ copia neſcio dicam, an luxuria, quintę uoci, quam Vagantem nominant, locum in ſyſtemate reperiſſet. Inter Tenorẽ nanque, & Baſſum, is obtinuit receptaculum: unde ſi forte ab eiſdem uocibus ceu ex proprijs ſedibus pellitur, tum in procliui eſt, ut aliarum uocum locis ſeſe quaſi circulator & uagabundus inſinuet, unde & nomen, ni fallor, ſortitus eſt Vagantis. Iam dictu mirum, ubi ſtabulentur uoces aliæ, quas ian[illegible] ccens[illegible] addiderunt nobiliſſimi eius, quam tradimus, artis magiſtri, quando nc[illegible] tam [illegible]ditus ipſos, quam etiam penitiſſimos quoſque ſyſtematis receſſus uidemur quinque prædictis uocibus deſediſſę: adeo, ut inge-

 nium

nium magis humanum mireris in plurium uocum commiſſura, quam rerum parentem naturam. Atqui Muſicę eximiam quandam maieſtatē audias licebit, ac incredibilem uim, ſicubi ſex uoces harmonicę coniunctas, recte expenderis: atque id qum olim portenti loco haberetur, hac tempeſtate eſt uulgatiſſimū. Nolo enim de denis, duodenis, aut uigintiquatuor uocibus catalogū texere: aut ſi forte maiori numero offendantur, e quibus argutiſſimas cantilenas uidere in promptu eſt. Quis enim certis finibus artem tam feliciter exuberantē, cohibeat? Verum quod certo ſciam, ex Germanis noſtris Henricus Iſaac, plurimū in ſex uocibus coaceruandis ualuit: atque is, ut fertur, ingenij ſui reliquit hęredem, Ludouicum Heluetium: nam iſthuc illi cognomentum, primariū ſane Muſicum ex hijs quos fouet Cęſar noſter Maximilianus. Nec minori pręconio mihi celebrandus eſt Xiſtus Theodorici Auguſtanus, uir non tam patriæ, quam Conſtantiæ, in qua profeſſionis ſuæ magiſtrum agit, decus & ornamentum inſigne. Nam is, ut alia deſint, uel eo nomine potiſſimum etiam nobis commendatur, quod bonas literas Muſicę pari ſtudio copulauit. Bolfgango deinde Grefingero non parum eſt quod tribuam, ueluti iam olim pręceptori. Quanquam, ut ſemel dicam quod ſentio, eo progreſſa ſunt hæc tempora, ut qum in plęriſque alijs artibus pauciores inuenias, qui poſſint cum antiquitate aliquo iure contendere, ita uel tyrones etiam modo proferre queas, qui facile priſcum Muſicorum ęuum ſuperauerint. Itaque prius me charta, aut certe tempus deficeret, quam nomina, ſi pergā illuſtres huius ſęculi Muſicos

ſicos commemorare:tanti iam habetur,in re ingenioſiſſima excellere. Qum igitur neq; facultas nobis ſuppetat,nec ocium, ueteranos artis componendi harmonias,& iam emeritos ſimul cum rentioribus, tanq̃ duces noſtri inſtituti ſequacibus proponere,ſat nobis uiſum eſt,ſi,ut bona pars Gentilitatis ſolem adorat orientem,ita nos nobiliſſimis huiuſcemodi ingenijs in lucem emergentibus, bene precemur. Xenophilū Muſicum Plinius tradit centum & quinq; annis, ſine ullo corporis incōmodo uixiſſe,atq; id præter cuiuſq; alterius exemplum: nimirū (ut non paucis placet) artis ſuæ beneficio: quod ſi deſtinet Deus futurum ſalutare,nihil eſt quod magis optamus, ut illis contingat.

QVAE FVGIENDA DISSONANTIA HARMOniarum compoſitori. CAP. VI.

FVgiat inprimis diſſonantes ſecum ſonos, cui concors uocū compago cordi eſt,etiamſi iſthuc iam antea admonuimus: licebit enī rem cum primis neceſſariam crebrius inculcare. Naturā tum decebit eius toni,cuius harmoniam componendam plurifarijs uocibus ſuſceperis, exacte rimari,quid ferre quaſi genuinum poſſit,quid contra exhorreat: ita enim & arti inſeruietur,& auribus. Sunt enim, qui maiore licentia, q̃ artificio, extra præſcriptam tonorum melodiam exſpacientur; quaſi uero artis alicuius eſſe ui-

deatur, ea quæ ars ipſa expoſtulet, corrumpere. Et quidem hij mihi ad eos oratores q̃ proxime uidentur accedere, quales audiui ex alto ſuggeſto uerba uendicare, quæ neq; loco apta erant, neq; tempori; ut recte prudentis illius iudicis elogium, cuius alicubi meminit diuus Hieronymus, in iſtos retorquere poſſis, Bene iſthuc, & iterum bene. Sed quo illud tam bene? Faceſſant igitur mihi Muſici, qui delectatione capere auditorem non poſſunt, qum illud potiſſimum in omnibus deſyderemus, quādo alioqui pręſtiterat (ut prouerbio uulgi dicitur) ſiluiſſe. Adimitur autem amœnitas compoſitioni primo, per uſurpationem impertinentium clauium. Veluti ſi in tertio tono, aut quarto, quæ in E frequentius exeunt, præter ſolitū in b fa compoſueris; aut eo loci ſedem carminis quęras in ipſo progreſſu, ubi oīs ratio toni reluctetur; ut ſi in memoratis tonis in F clauſulā facias. De quibus rebus in libello noſtro, quem de Progymnaſmatis huiuſcemodi, annos ab hinc ferme tres edidimus, abunde tractatur. Turbatur inſuper non parū cantionis alicuius concinnitas, incompoſitis uocum motibus, puta in ſeptimam, nonam, decimam, ac ſic deinceps. Sed ne ſextam quidē uideas peritos magiſtros frequentius uoces dimouere; ingerit enim hoc non mediocrem difficultatem parum exercitatis cantoribus; atq; ex eadem mox ſubrepit formido, qua præſente, nihil recte geritur. Quamuis enim in plęriſq; ſic habeat, ut pulchra ſint difficilia, non tamen mox difficilia quęq; ſunt pulchra; id quod in Muſicis obtinuit, in quibus primas habet coniuncta facilitati maieſtas. Deniq;, ut in hiſtoricis & poe

tis

tis pręcipue deſyderatur decorũ:ita et nos,quatenus fieri poteſt,ſingulas quaſcꝫ uoces uolumus motum obſeruare ꝙ maxime cõpoſitum : nam eiuſce rei niſi ratio habeatur, ego quid inter argutam cantionem interſit, & moleſtum ſtrepitũ, non admodum uideo.

¶ QVAE OBSERVANDA. CAP. III.

EX Muſicis non parum multi extiterunt, qui Compoſitionẽ potiſſimũ probarint,quæ intra arctiores limites contineretur : tum quia minori labore cantorum intonaret, quãdo ijs nihil eſt moleſtius, ꝙ acuminis ſimul & grauitatis in eadem cantionis partẽ oppoſita extremitas: tum quia conſonantias ſibi per uicinitatem quodammodo germanas,per interualla lõgiſſima alienas fieri iudicarent,reclamante,ne id fiat etiamdum uetuſtiſſimo Muſicorum prouerbio, δὶς διὰ πασῶν. Quanꝙ conijcere nobis licet ex uetuſtiſſimorum compoſitione Muſicorum,ſuas cuiuſcꝫ ætatis fuiſſe leges,ſuacꝫ placita:necꝫ noſtris quicꝙ cum illis ferme cõuenire,qui annos ab hinc ducentos fuerũt modulati. Extant enim plęracꝫ id genus modulamina,quæ nos adſeruata paſſim uidimus, Dij boni, ꝙ frigida,ſi cum hijſce noſtris conferas:adeo,ut uix fidem mihi faciant recepti,& uno omniũ ore celebrati ſcriptores,qui talibus potuiſſe moueri animos, memorię prodiderunt:niſi decorũ,ut ad perſonas & loca,ita etiam ad tempora ſua referas.Nam quod ex infi-

nitis

nitis coniecturis deprehendere licebit, in Muſicis longe aliter euenit, q̃ in eruditione. Iſtic enim uel hoc potiſſimum laudatur, ut ad uenerandam illam uetuſtatem, quo propius fieri poterit, accedas; illic, niſi maiores ſuperes, futurum eſt, ut ab omnibus rideare. In Muteto aũt, Tota pulchra es, non parum feliciter mihi ueterum Muſicorũ inſtituta uiſus eſt neglexiſſe Nicolaus Craen, uir me Hercle præſtantis ingenij; atq; ex eo iam diſcere poterimus, quanta laude etiam priſcas leges prœterierit; tantũ abeſt, ut uicio iſthuc uerti alicui debeat, ſi modo decenter ex omni parte fiat. Eſt proinde, quod facile uiam componendi harmonias ſuppeditare queat, neq; adeo, quod uiderim, canonibus uulgatum, ut certior reddaris in tanta peruagandi licentia, quo ſit enitendum; id quod hac uia aſſequeris. Principio te admonitum uolo, quando facilior reſpectus habetur ad pauciora, duas tantum uoces adnitaris coniungere; atq; illas, ſi continuato progreſſu feceris in ſublime pergere, uox tertia apte contrario motu in decliue rapietur, cum qua & quarta eadem petet decliuia. Tres enim ſimul uoces in huiuſcemodi progreſſu inſtituere non potes, niſi ea uia, quam indicauimus, ubi quatenus uſurpanda ſit quarta, expreſſimus. Obtinet igitur, q̃ in imperfecta conſonantia par uocũ apte aſcendet, altero deſcendente: ſic enim uocibus quærendi ſunt comites, ut diſpar ſimul, & ex æquo inſtitutus in uniuerſum motus inueniatur. Exemplo autẽ ueteris plane, ſed non inconcinni Muteti, Quæ eſt iſta, Henrici Iſaac, ſicubi alio non poterimus, id quo pacto fiat, oſtendemus. In calce enim ſecundæ partis, ui-

delicet

delicet, Et uniuerſi,ac ferme in medio,uides hoc quod docemus adamuſſim obſeruatū. Eſt inſuper,quod iam artificiū om̄e,& ipſum proinde decorum,de quo crebra nobis facta mentio,longo interuallo ſuperet, a clariſſimis magiſtris fideliſſime obſeruatū:ut uidelicet,quatenus harmoniæ ratio patitur, ſicubi opes immenſas huius profeſſionis oſtentare uoles,uoces ipſas ſeſe inuicē præuenire patiaris,ſiue id fieri malis, mox ab initio carminis, ſiue in ipſius concentus medio: undiq; enim ſumma laude id efficies: quanq; meo conſilio,quo cōmodius,ac rarius,eo rectius. Inamœna enim fiunt, ac parum grata, etiam quæ ſunt optima, ſicubi fuerint intempeſtiua, atq; immodica: ut alicubi in præceptis Rhetoricis pręclare admonuit Ariſtoteles.Cęterum in perfectis concordantijs pręuentio, aut quo uerbo Muſicorū cohors utitur, fuga apte diſponitur, quippe diapaſon, uniſono,diapente, & plęrūq; etiā diateſſaron. Neq; locus exigit,in hac re exempla proferre,qua adeo decenter uideas omnes luxuriari, ut nullę propemodum rei maior ſit gloria propoſita.Extant ſelectæ quędam cantiones, e quibus ſinguliſ,ueluti ex Duratęo equo, q̄plurſculę prodeunt uoces. Tantum ualuit ingenium ne dicam,an exercitatio,ut nihil tam arduum ſit,aut impeditum, ad quod nō accedat ardor & ſedulitas mortalium.

DE CANONIBVS COMPOSITIONIS ſpeciatim. CAP. VIII.

CAeterum ad rem propius pergere bonis auibus uocamur, quo concors plurifariarũ uocum habitudo apertius explicetur. Geminæ uoces, ut paulo ſuperius oſtendimus, commodius ſibi in aliqua conſonantia primo copulabuntur, nũc quo ordine reliquas duas coniunxeris, ut concentus ſuis numeris abſoluatur, palam reddemus. Et primo, ſi lubeat, a uocum faſtigio ordiamur, a Diſcanto uidelicet, & Tenore. Et quidẽ eas uoces concordi harmonia contrahas, neceſſe eſt: puta, aut in uniſonum, tertiam, ſextam, aut diapaſon: nam de quarta ſuo loco tractauimus. Item de decima, duodecima, & longius diſſitis, ſuperuacaneum arbitror adhortari quippiam: quandoquidem intra eos fines Baſſus Tenoris uice fungetur, & Tenor Baſſi munera obibit: ita, ut nulla eiuſce rei nouitas nobis negociũ faceſſere uideatur, quando probe omnia ſibi ea qua diximus ſerie conſtabunt. Si igitur memoratæ uoces geminæ uniſonum fuerint complexæ, Baſſus uniſonũ cum eiſdem, aut certe tertiam ſub Tenore occupabit, Altus autem, quando proprio loco nõ poteſt, in uniſonum ſe alterius inſinuet, neceſſe eſt, Baſſus autem quintam, & ſextam ſub uocibus prædictis, non minus commode tenere poteſt, etiamſi quinta mihi magis probetur, uerum utraq; altum admittit in tertia ſupra Baſſum. Ad tertiam

propero

propero. In ea ſi Diſcantus & Tenor conſiſtant, Baſſus uniſonum cum Tenore poſſidere poteſt; id quod illi nunq̃ non uideo conceſſum, Itaq; deinceps nihil de uniſono dicemus. Proinde etiam ſub Tenore tertiam arripiet Baſſus; quo loco Altus uniſonum cum una ex his tribus uocibus complectatur oportet, ex ea cauſa, quam indicauimus, Sextam aũt ſi infra tertiam prędictam Baſſus teneat, Altus in tertia ſupra Baſſum commode locabitur, niſi in uniſono alicui ex tribus uocibus adiungi malit; quod cum alioqui ſemper illi ſit permiſſum, de peculiaribus tantũ Alti ſtationibus deinceps loquemur. Nec minus apte Baſſus in huiuſcemodi compoſitione tenebit ſub Tenore diapaſon, & ſupra eum Altus ſextam: quamuis multis partibus pręſtet quintam admiſiſſe, aut tertiam. In decima autẽ ſub Tenore diſponenda id obtinet, quod in tertia dictum eſt: qum nil aliud iam ſit decima, q̃ tertiæ octaua; de duodecimis quoq; pari opus eſt cenſura, aliiſq; deinceps: & in octauis nullam uideo naſci diuerſitatem, quę alias leges tradi expoſtulet; quo conſultius facturi nobis uidemur, ſi lectorem, uerborum prodigalitate non onerauerimus. Inuenias enim, qui rem facilem uerborũ pelago difficiliorem faciant: nos contra, difficilia paucioribus, quo fieri poteſt, perſpicua reddere tentamus. Quod ſi uoces primariæ ex quinta ſeſe reſpexerint, Baſſus ſextam infra Tenorem, aptius autem octauam ſortietur, priori Altus concodantiæ in tertia, aut octaua: alteri in tertia, quinta uel octaua accommodabitur. Iamq; ſupereſt, ut de ſexta dicamus. Et quidem in ea, ſi Diſcantus cum Tenore conſederit,

Baſſus tertia ſub Tenore gaudebit, quintaue, & quod certo ſciam, rarius octaua. At tertia Baſſi, Altum adiungi ſinit in ſexta, uel, quo magis afficior, in quinta. Quinta aũt Baſſi tertiam, aut ſextam pro Alto efflagitat. Sic octaua Baſſi tertiã, ſextam, aut decimam. Cæterum in octaua, quam Diſcantus & Tenor concordi nonnunq́ unione delegerint: niſi magis tibi arrideat, ut Baſſum intra tam lata ſpacia earundem uocũ colloces, quippe in tertiam, aut quod magis ex uſu eſt, in quintam ſupra Tenorem: tertia certe, quinta, ſexta, & octaua ſub eodem non minus concinne quadrabit. Priori ſerie Altus uiciſſim cum Baſſo ea loca, quæ ſupra Tenorẽ ſunt, partietur. Altera ſuæ cuiq́ partes ex ęquo reſpõdebũt, nempe tertiæ Baſſi ſub Tenore, quinta Alti, & octaua, rarius ſexta. Quintæ inſup Baſſi ac ſextę tertia, Alti octaua & decima: Octauę item decima, duodecima & tertiadecima Alti. Quanq́ hoc poſterius non admodum crebro eueniat.

CONCLVSIO.

HABES Lector humaniſſime, Commentarios hoſce ceu prioris operis auctarium, quos alius pro ingenij & eloquentiæ magnitudine feliciore ſtylo exaraſſet, nos longe infra mediocritatem poſiti, benigne nobiſcũ actum duximus, ſi rei Muſicę ſtudioſis, fidem & diligentiã noſtram quantolocunq́ labore probandam cõmendaremus. Et ſi uerum eſt, quod Gręce uulgatum uideo, μακάριος, ὅστις μακαρίοις ὑπηρετεῖ, nonnulla officij noſtri portio ad nos aliquando reditura eſt. VALE.

INDEX EORUM, QVAE HAC Muſurgia continentur.

Altus,	83
Artis cuiuſq; preſtantia.	4
Baſſus.	92
Bellorum deteſtatio.	26
Canones Compoſitionis.	109
Cantus quid.	92
Cythara.	12
Clauichordiorum Tabellatura.	37. & ſeq.
Concordantiæ uocum.	85
Compoſitio Faux bourdon.	91
Diſſonantiæ.	87
Et earum uſus ibid.	
Diſcantus.	92
Ficedulæ.	11
Fiſtularum Tabellatura.	58
Germanorum laus, & ingenia.	5
Hackbrett.	13
Inſtrumenta quæ plectra habent.	8. 9

Inſtrumenta Muſica Hebręorum. 29.& ſeq.
Inſtrumenta Muſica ex ære. 25
Ligaturæ notularum. 69
Lutinæ. 10
Lutinæ Tabellatura 47.48,& ſeq.
Muſicæ inuentum, & utilitas. 2.15
Muſicæ item origo. 3
Muſicæ praxis. 82
Muſicorum Catalogus. 15. 17
Muſicorum proprietates, 56. & obſeruationes. 97
Naturam ſuppetias pręſtare arti. 5
Notularum genera, & figuræ. 65.& ſeq.
Notularum compagines. 69
Notularum paſſiones. 78. 79.
Organa uaria. 8
Organum Portatiuum. 17
Organum Poſitiuum. 18
Organum Regale. eod.
Organum diuini cultus. 10.
Organa ſpiritu hominis ſonora. 19. 20. 21

Organa

Organa ductilia. 23. 24
Pauli Hofhaymer excellentia. 15
Pauſarum deſcriptio,& ualor. 68
Præceptore uno,& experto utendum. 45
Pſalterium. 12
Punctus quid. 76
Punctorum diſcrimen. eod.
Quartæ uſus. 91
Scala Guidonis Muſici. 35
Signa Carminum. 73. 74. 75.
Syſtema quid,& eius ratio. 61
Tenor. 92
Tibicines Tyburtinorum ſui iuris. 14
Tympana claſſica. 14
Vagans. 93

[Oct., 1884, 20,000]

BOSTON PUBLIC LIBRARY.

One volume allowed at a time, and obtained only by card; to be kept 14 days (or seven days in the case of fiction and juvenile books published within one year,) without fine; not to be renewed; to be reclaimed by messenger after 21 days, who will collect 20 cents besides fine of 2 cents a day, including Sundays and holidays; not to be lent out of the borrower's household, and not to be transferred; to be returned at this Hall.

Borrowers finding this book mutilated or unwarrantably defaced, are expected to report it; and also any undue delay in the delivery of books.

*** No claim can be established because of the failure of any notice, to or from the Library, through the mail.

The record below must not be made or altered by borrower.